



2
6
492









DE ANTIQVIS MENSVRIS HEBRÆORVM, quarum S. Biblia meminerunt, LIBRI III.

CASPARI WASERI, TIGVRINI.

Interspersæ sunt

MENSURÆ ÆGYPTIORUM, ARABUM, Syrorum, Persarum, Græcorum & Romanorum; quæ cúm ipsæ per se explicantur, tum per has Hebraïcæ.



Opusculum Theologis, Philologis, & cumprimis, Antiquitatum studiosis utilissimum, adeóque necessarium.



HEIDELBERGÆ,
Typis GOTTHARDI VOEGELINI.

M. DCX.



NOBILISSIMO VIRO

JACOBO STVDERO, Patritio Sancti Galli,

CASPAR WASERUS S. P.



OBILISSIME Vir. Annos ante pauculos commentarium edidi De antiquis Nummis Hebraïcis, Chaldaïcis, Syriacis: eo fine; ut aliquot Sacræ Scripturæ loca illustrarem, in quîs horum fit mẽtio. Quod quum per Hebraïcas etiam Mensuras fieri posse sperarem, visum est de his quoque libellum subtexere. Quem sané laborem libentiús & alacriús mihi sumpsi, quód ad eum multi me magni viri cúm litteris, tum sermone

vehementer incitârunt: quibus alter ille haud ingratus fuit.

Isthoc veró, quicquid est, quantillum est, sub tui tutelâ nominis in aspectum dare volui. Caussam habui duplicem. Prior est; quia lucem aliquam tenui huic & obscuræ per se scriptioni conciliare conatus sum à luce tuâ: cujus antiquus & patritius generis splendor splendet inter urbis Sant-Gallensis, potentis & amœnæ, patritios non ultimus: túque inter eos per pietatem, morum integritatem, experientiam, prudentiam, historiarum & linguarum cognitionem, & si quæ sunt aliæ virtutes homine nobili dignæ: ut quód harum ipsarum rerum, quæ sanctam & elegantem sapiunt Antiquitatem, peritus es ipse. unde tum dignitate & virtute, tum doctrinâ & eruditione tueri eas contra maligni livoris dentem possis. Caussa altera; quód benevolentia tua huc me impulit & comitas, qua jamdiu insigni in me usus es, nullo meo merito, nullo: sed solo impulsu beneficæ & veré humanæ naturæ tuæ, quæ velut fato

aut

aut genio inter Tuos proprié est tua. quam dum alii sæpe experti sunt, ego experior cottidie clarissimé & locupletissimé. Ob hæc singula, quæ verissimé de te prædicantur, & verâ cum gloriâ nota sunt gentibus tã dissitis, quàm adsitis, hoc publicé etiam tibi omnino à me debetur opusculum: etiamsi neutiquam privatim tibi obligatus forem dudum.

Tuum nunc est, exiguum munus, at optimi in te animi, & summi cultus magnum pignus, benigné accipere, & quem semel favoris tui aurâ dignum judicâsti, constanter porró fovere. quod ut facias, vir præclarissime, etiam atque etiam te oro.

A propitiâ Dei Providentia supplex peto, ut Tibi, & familiæ tuæ nobilissimæ & florentissimæ prolixé benedicat. E metropoli Helvetiorum. Prid. KL. anni novi CIↃ DCIX. quem felicissimum Tibi aliósque ire voveo, ut in publicum bonum

Iliacos æquare senes, aut vincere possis.

DE NOMINE
N. V.
IACOBI STVDERI,
Anagrammatiſmus tergeminus:

IACOBVS STVDER,

TV DEO BIS CARVS:

VERBA CVSTODIS:

AB CORDE IVSTVS.

PEctoris integritas, verborum firma fidéſq;:
Hæc duo ſunt, carũ quæ faciunt hominem,
Non homini tantũ, ſed Iouæ ipſi. Inclyte Studer,
Ambo hæc perpulchré quum tibi conueniant:
CORDE *quód* AB IVSTVS CVSTODIS VERBA *Tonantis,*
Sint fidei ac vitæ ut regula Sancta tuæ:
Et quæ promittis CVSTODIS VERBA *propin-*
Ore infucato, non dubióque animo: (quo,
Quisnam Anagramma tuum verum neget eſſe locutum,
Quód TV BIS CARVS *ſis homini atq;* DEO?

Ad

Ad Cl. & doctiss. V.

D. CASP. WASERUM,

Epigramma

CUNRADI RITTERSHUSII I. C.

& Antecessoris Norici.

Οἵ τινες Αἰνεαδῶν τὰ νομίσματα καλὰ παλαιῶν
  Ἐξέθεσαν, κῦδος τοῖς δ' ἔπετ' ἀέναον.
Ἐξ ὧν Βουδαῖός τε μάλιστά γ' ἀοίδιμός ἐστιν,
  Ἀγρικόλας τ' ἠοῖ γνωρίμῳ ἠδὲ δύσει.
Καὶ γὰρ ἐπ' ἀργυρέας πηγὰς ποδὶ ὀρθῷ ἔβαινον,
  Ἠδ' Ἑλικῶνος ὅλου δίψαν ἔπαυσαν ὅλην.
Ἀλλὰ σὺ πρῶτος ἔφυς ὁ Σύρων τε νόμισμα χαράξας
  Χ' Ἑβραίων γλώσσῃ, ὦ φίλ', ἐν Αὐσονίδι.
Νῦν δ' ἔτι καὶ κρίσεως σταθμίζων ἐν ζυγῷ ἴσῳ
  Σταθμοὺς παντοίους, καὶ μέτρα πλεῖστα μετρῶν,
[Οὕτω ταῖς ἱεραῖς τῶν βίβλων φῶς μέγ' ἀνάπτεις,
  Εἴτε παλαιογράφῳ τεύχει, εἴτε νέῳ.]
Τὼς κεφαλῇ στέφανον περιπλέξεις σῇ ἀμάραντον,
  Ἔμπλεω εὐσεβίης, ἔμπλεω εὐτυχίης.

Interpretatio

MICHAELIS VIRDUNGI,

Histor. Professoris Norici.

Qui veterum nobis rauduscula rité Quiritum
Exposuêre, mori splendida fama vetat:

E quibus AGRICOLAM *&* BUDÆUM *gloria*
Didita ad Eos, didita ad Occiduos: (*clarat,*
Hi namq; integros sunt ausi accedere fontes,
Vnde sitim ipse Helicon nunc rigat ingenii.
At tu, qui Latinâ primus, WASERE, *monetâ*
Hebræûm scisti cudere & æra Syrûm:
Quin & iudicii nunc lance appendis eâdem
Pondera, queis horum est usa vetus ratio:
(Omnia, quæ sacris accendunt lumina rebus,
Inque libro Antiqui Fœderis, inque Novi:)
Ecce tuo insignem capiti petis inde coronam,
Vnde omnis manat & ipsa salus.

Aliud GEORGII REMI, I. C.

Visa nimis plena est res ponderis ac salebrarum
Dicere mensuras, pondera cum pretiis:
Nummorũ at pretia, & mensuras, & sacra He-
Pondera dum nobis enucleas penitus, (*bræûm*
O WASERE, *caput pretiosum: Hoc efficis: In-*
Doctrinæ evincis pondus inesse Tibi. (*gens*



In Rever. & Cl. Viri,

DN.

CASP. WASERI, TIGVRINI,

De Mensuris sacris opus elegantiss.

SAcram qui gazam, sacrata numismata perquàm
Docto recens, WASERE deprompsti libro,
Hinc Sacræ Gazæ mihi Thesaurarius esto.
Contentus haut palma hâc, Opus das publico
Hoc aliud, quo, quæ Solymorum pondera rebus,
Quæ metra fuerint, edoces, enucleans
Singula, vestigansq; animo calamoq; sagaci.
Ergò audias Zygostates rei sacræ;
Qui reliquis titulis honor, & decus, ornamentúmque
Adcedit adcrescitq; propritim tuis.

GEORGIUS REMUS I. C.

**



CONSPECTVS
OMNIVM CAPITVM HVIVS OPVSCVLI
De Menſuris antiquis.

PRIMVS LIBER DE MENSVRIS Continuorum.

SECVN-



SECUNDUS LIBER DE MENsuris Discretorum Aridorum.

LIBER TERTIUS DE MENsuris Discretorum Liquidorum.



DE ANTIQVIS MENSVRIS HEBRÆORVM

Liber I.

Qui est de mensuris Continuorum.

CAPVT I.

De materia & ordine huius libri.



EMINEM, qui vel mediocriter in antiquis litterarum monumentis sit versatus, ignorare arbitror, rei numariæ mensurarumq; cognitionis maximũ semper cum ad sacros, tum ad profanos auctores probè intelligendos & explicandos vsum vtilitatemque fuisse. Quamobrem quum de antiquis numis Hebræorum, Chaldæorum & Syrorum quædam, pro ingenii mei tenuitate nuper admodum conscripta, in aspectum lucemque protulerim, illustrandæ sacræ profanæq; Scripturæ: operæ ideò pretium duxi, nihilq; à ratione alieni, si de antiquis quoq; mensuris Hebræorũ aliquid priorũ

illi meæ lucubrationi, tanquam προσῆκον ἐπίσαγμα καὶ προσθήκης μέρος, subiungerē, quo non pauciora eiusdem Scripturæ loca explicarem & illustrarem.

Mensura duplices, nempe continuorū & discretorū.

2. Igitur vt duplices sunt mensuræ: aliæ nempe *Continuorum*; quibus longitudo, latitudo & altitudo corporum, siue interualla mensurantur: aliæ verò *Discretorum*; quibus vtuntur ementes & vendentes, atque omnino mercatores omnes, agricolæ item & pharmacopolæ; ad quod posterius genus referuntur Aridorum & Liquidorū mensuræ: sic duplicis huiusce generis ratione, primò Continuorum mensuræ videntur esse explicandæ: tum verò Discretorum; quo de posteriori genere inprimis instituta est præsens tractatio. Sed antequam ad ipsa harum mensurarum genera explicanda adgrediar, *Metiendi* & *Mensura* voces quam-generalissime sunt ponderandæ & producendæ eo sensu, qui in veteris & in noui Federis libris eis passim tribuitur, quo tota deinceps tractatio fiat illustrior & explicatior.

CAPVT II.

De מדד *madád* vel *medád*, Mensuræ Continuorum voce generali.

Continuorum mēsura vox generalis madád.

Metiri aquas mensura vel pugillo.

HEbræis, Chaldæis atq; Syris *Metiri*, vel *Mensurare* vulgatâ & communi voce dicitur מדד *madád* vel *medád*; quod ędificiis propriè, synecdochicè aliis rebus dimetiendis accommodant. Vnde natæ phrases; *Metiri aquas certâ mensurâ*: *Metiri aquas pugillo*: *Metiri in alicuius sinum*: *Metiri eâdem mensura, &c.* quæ tum Deo, tum Homini tribuūtur prouerbialiter. Deus enim aquas certâ mensurâ metitur, quum sapientissimè gubernat non tantùm aqueum elemētum, sed vniuersum Mundum Iob. 28, 25. Idem pugillo aquas metitur, quum maxima curat labore minimo,

Esa. 40,12. quanquam ad Hominē relatum, de eo dici pos-
sit, qui conatur quod effici nequit, tanquam si dicas, *Aquas
maris metiri & exhaurire*, quod Græci dicunt θάλασσαν ἀν-
τλεῖν. Nam montes vtrunque perfodiuntur: sed mare ex-
hauriri non potest. At in sinum metitur Deus; quum pec- *Metiri in*
catoribus admetitur pœnam prolixè & cumulatè: vt sine *sinum.*
numero dantur quæ in sinum vel gremium solent profun-
di; quod Scriptura aliter dicit, *In sinum rependere* siue *retri-*
buere Esa. 65,6. Psal. 79,12. & Ier. 32,18. vt certè *sinus* Latinis *Sinus symbolū copiæ.*
etiam pro *copiâ* accipitur maximo Philosophorum Senecę,
Non recipit sordidum virtus amatorem: soluto ad eam sinu venien-
dum, hoc est, liberalitate plenâ, & copiâ largâ vel effusâ, vt
interpretatur Galliæ lumen Budæus. Eâdem porrò men- *Meriti eadem mensurâ.*
surâ metiri est referre par pari, eodē cubito ac trutinâ seu
librâ, vt loquuntur Latini: ἴσον ἴσῳ, vt Græci: vel כנגד מדה
מדה *middáh cenéged middáh*, *mensurâ pro mensurâ*, vt reddunt
Thalmudici prisci*. In quo sensu Seruator dixit, Ἐν ᾧ μέ- ** Tract. de Sanhedr. De collegiis iudicū & Magistratuum.*
τρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν: *qua mensurâ metimini, reme-*
tientur vobis Matth. 7,2. quod in Mimis Publij sic exprimi-
tur, *Ab alio expectes alteri quod feceris*, &c.

2. Cæterùm מדד *madád* vel *medád* fit nomen מד *mád*, *1. Middáh vox propria mensuræ continuorum.*
vel מדה *middáh*, vel מנדה *mindáh*, & מדון *madón*, declarans
propriè mēsuram Continuorum, vt apud Latinos *modius*;
quod ab hoc Hebraico descendit: velut econtrariò משורה
meschuráh (vnde *mensuræ* Latinorum vox) declarat Discre- *2. Aliquādo mensuræ instrumentum, norma.*
torum mensuram, Exod. 26,2. Ezech. 42,15. & alibi. vbi de
mensurâ ædificiis adhiberi solitâ vsurpatur. Aliquando, &
metonymicè est *mensuræ instrumentum*, quo structuræ lon-
gitudinem, an respondeat, operæ fabriles exigunt, aliter
Hebræis קו *kav* dictum: *Norma* vel *Regula*, & *Quadra* Lati-
nis: Græcis κανὼν vel γνώμων, ein Winckelmaß. quo sensu ex-
pressum reperias 1. Reg. 7,9. *Omnia hæc erunt è lapidibus pre-* *3. Aliquādo pertica vel funis.*
tiosis, secundùm mensuram. Aliquando designat instrumen-

tum, quo agros metiuntur, siue sit pertica, siue funis. Vtroque enim olim ad Agri mensuram vtebantur veteres Syri, vt dicetur capite de Arundine. Hoc sensu occurrit Leuit. 19,35. in istis verbis: *Nec exerceto peruersitatem* (במדה *bammiddáh) in mensura.* vult dicere, instruméto agrimensorio, mit der Mässrüte oder Mässchnür / avec la perche, vt loquũtur Galli. quo sensu rectè reddit CL. V. Iohannes Piscator in laudatissimo suo opere biblico, Germanicè nuper edito. Vt enim in consequentibus eius loci verbis משקל *mischkál*, ad trutinam & pódus refertur; quibus peccat, qui partim iniustis vtitur, partim domi suæ illa habet, etiamsi non vtatur: itemque משורה *meschuráh*, ad arida & liquida; in quibus scelus committit, qui mensus liquorem ex alto infundit in vas subiectum: ita per מדה *middáh*, מנדה *mindáh*, agrimensorium intelligitur instrumentum; quo exercetur peruersitas, quum prædium cuipiam mensuratur cœlo vel nimium pluuioso: tunc enim funis est longior: vel sereno, tunc breuior & contractior.

4. Aliquãdo mensura breuis vel maxima.

3. Aliquando vox hæc aut absolutè posita, aut coniunctim, declarat *mensuram breuem*, aut *longam*, seu maximam: *Breuem*; quum dicitur Psal. 39,5. *Fac vt experiar Iehoua finem meum: mensura dierum meorum quid sit*, hoc est, quàm breuis, &c. *Maximam*; quum dicitur Ierem. 22,14. *Aedificabo mihi domum mensurarum*, hoc est, quàm-maximam & amplissimam, &c. *Longam*, vel proceram; quum dicitur איש מדה, *isch middáh*, vel *middóth*, vir mensuræ vel mensurarum, qui iustam cæterorum hominum bene formatorum mensuram siue magnitudinem superat; idque non paruo internallo: *gigas* Latinis, & Theocrito καθ' ὑπερβολὴν, ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς, *homo tredecim cubitorum*, hoc est, immaniter procerus, quem prouerbio dixerunt fatuum, stultum, amentem: *in cuius nulla est corpore mica salis*, vt loquitur Poeta, iuxta protritum ἄνους ὁ μακρός, *Amens longus*, &c. Cuius

staturæ

ſtaturæ vel magnitudinis putantur fuiſſe veteres Cananæi Num.13,32.& Ægyptius ille; quẽ Benaias percuſſit 1.Par. 11, 2. & αἰχμητὴς ille Goliathes Philiſthæus 1. Par. 20,6. & Sabæi Eſa. 45,14. quos inprimis conſtat corporis magnitudine aliis gentibus antecelluiſſe. quanquam, vt hoc παρέργως adjiciam, Eſaias loco commemorato, eos non tam à corporum magnitudine ſic nominat, quàm à potentiâ agrorum & mercium. Nam ad agros quod attinet, conſtat, Sabæos ad vtrumque mare, Perſicum nempe & rubrum porrectos fuiſſe: à claritudine deinde mercium, turis maximè & odorum, Poetæ Latini, Flaccus, Statius, Pontanus & alii, eos cognominant *turiferos, odoriferos, vnctos*, ab vnguentis ſcilicet ex odoribus factis, aliiſque nominibus. Siue autem proceros, ſiue agris & mercibus potentes intelligas, typus fuere verorum Sabæorum, vocandorum ad communionem populi Dei, hoc eſt, eorum, qui εὐσεβῶς καὶ θεοσεβῶς, piè religioſeque Deum eſſent culturi. vt certè ipſa *Sabæ*, vel *Sabæorum* vox, aut à צבא *ſabá, conuenire religionis gratiâ*, aut à Græco σέβειν, *colere, venerari*, &c. originem videtur nacta, tanquam ſi religioſiſſimos dicas, ob turis nimirum copiam: cuius in ſacrificando apud Iudæos etiam, in vnâ ipſorum religione antiquâ, & apud reliquas gentes in ſuperſtitione ipſarum creberrimus fuit vſus. vnde Sabæorum voce ſpirituales Dei cultores intelliguntur, Pſal. 72, 10. Eſa. 66,6. & alibi.

Sabæi olim menſuræ maximæ.

4. Denique *menſuræ* vox Syriaca משוחתא *meſchuchetá*, à משח *meſchách, metiri, menſurare*, &c. & Græca τὸ μέτρον, quæ in nouo Federe leguntur, ad alias res eleganti metaphorâ accommodantur. vt docet locutio, πληροῦν τὸ μέτρον τῶν πατέρων, *Complere menſuram patrum*, pro *ſtrenuè perſequi veſtigia Maiorum*, vt tandem vel virtus, vel improbitas ad ſummum perueniat gradum. quod Plutarchus ſcitè dixit, Ἀφομοιοῦν πρὸς τὸ οἴκοθεν παράδειγμα: Seruator verò ad Phariſæos accō-

5. Menſuræ vox etiam aliis, quàm metricis rebus adhibita.

modat Matth. 23,32. qui degeneres in peius lapsi velum fecerunt auitam paternamque virtutem scelerum flagitiorumque suorum, abusu fœdissimo.

CAPVT III.

De אצבע étzbah, seu Digito.

Mensura continuorum species.

HActenus de mensuræ Continuorum voce quam-generalissimè: sequuntur eius species, quæ sunt:
: אצבע étzbah, *Digitus*.
: טפח tóphach, *Palmus*.
: זרת zéreth, *Dodrans*.
: אמה ammáh, *Cubitus* vel *Cubitum*.
: קנה kanéh, *Arundo* vel *Calamus*.
: חבל chébel, *Funiculus*.

Ex quibus oritur itineris mensura, *Passus*, *Stadium*, *Milliare* seu *Milliarium*. quæ singula ordine breuiterq; σὺν Θεῷ considerabimus.

Digitus, prima species.

2. Prima igitur mensura Continuorum apud Hebræos est אצבע *étzbah, Digitus*; cuius mensuræ etsi in libris veteris & noui Federis expressa non fiat mentio; quia tamen interpretes Rabbini crebrò eius meminerunt: & cum primis R. Moses Maïmonides, ille magnus & admirandus, quem Hebræi ob insignem eruditionem appellant נשר הגדול *néscher haggadól, aquilam magnam*, in opere suo τῶ δευτερώσεων* fusè de Digito disputat, tanquam veteribus Hebræis in re mensurariâ cum ad sacros, tum ad profanos vsus frequenter adhibito: prætereaq; aliæ mensuræ per digitum aliquo modo explicantur tanquã per earum principium, quæ *filiæ digitorum* ideò dictæ, inde mox distribuuntur in alias mensuras, quo & nomine Ægyptii mensuram ex digito posito hieroglyphicè significabant: ideò epexegesis eius accuratior hîc non prætermitti, sed præmitti po-

* Tract. Kelaim, de rerum mixturis.

ti potiùs debet: vbi fortè non importunum fuerit ante omnia alia quædam Digiti significata explicâsse, quàm ad huius loci proprium accedamus.

3. Digiti igitur vox, quæ Hebræis, vt dictum, est אצבע *étzbah*, propriè designat *membrum corporis notum*, & propriè quidem *digitum proximum pollici*, absolutè scilicet posita, ex צבע *tzábah, pingere, colorare*, &c. quòd Digitus pingendi seu colorandi præcipuum sit instrumentum, Latinis à *digerendo*; quòd Natura miro decentique ordine digitos digesserit, hoc est, disposuerit: synecdochicè est *manus integra*, Psal. 8, 4. Esa. 2, 8. & alibi: metonymicè *symbolum virtutis & potentiæ*, Exod. 8, 19. *Digitus Dei hic est*, & Luc. 11, 20. *Digito Dei eiicio dæmonia*, &c. Natum hinc prouerbium: קטני ענה ממתני אבי: *Digitus minimus densior lumbis patris mei*, 1. Reg. 20. 10. pro, Patre meo sum longè fortior & validior: subintellige, etiam in eo, in quo nihil, aut parum, vel minimum est roboris respectu lumborum; in quîs virium est sedes. vnde Græci reddunt *ἡ μικρότης μου*. & Ionathan, vetus paraphrastes Chaldaïcus, חלשותי *chalaschúti*, *debilitas mea*, hoc est, pars mei debilissima. Vox est Roboami regis ad populum, arrogantię plena, eò fortasse respicientis, quòd Solomon, pater eius, ętate adhuc tenerâ Dauidi, suo patri, in regnum successit, quum ipse imperium nactus annum ageret quadragesimum primum, vt scribit R. Leui, Gersonis F. quæ ætas omni parte corporis firmissima est & robustissima.

1. Digitus, propriè mēbrum hominis.

2. Manus integra.

3. Symbolū virtutis.

4. Nata hinc etiam est locutio *ἀξιόμνηστον*, שלח אצבע, *schálach étzbah, Digitum mittere*, siue *porricere*, pro *Minitari*, quod digiti fit porrectione. Gestus etiam arrogantis est, alios superbè præ se contemnentis, ridentis & contumeliantis. in quem sanè sensum *ὀνομακλήδην* digitus medius, quando porrigebatur vel mittebatur, Latinis derisionis & contumeliæ fuit signum, vt ex Iuuenale, Persio, aliisque i-

Digitum mittere, siue porrigere. Esa. 58, 9.

doneis auctoribus colligitur. quod Hebræi aliter dixere תורה באצבע *thórah beétzbah*, *Digito docere*, seu *indicare*, quod nonnulli declarant, *Loqui digito per superbiam*. Proprium enim est, inquit CL. Drusius, in explicatione huius prouerbii, superborum, quæ significata domi volunt, digiti nutu indicare, quasi nemo domesticorum dignus sit, quem voce alloquantur. quod de Pallade quodam refertur, viro clarissimo, qui vixit sub Neronis principatu. Is enim, quum accusatus esset, quod Corn. Syllam ad imperium vocâsset, & liberti eius nominarentur, quos conscios haberet, respondit, Nihil vnquam se domi, nisi nutu aut manu significâsse. Quo dicto superbo populi inuidiam in se mirabiliter concitauit, & ex amicis plurimos inimicos sibi fecit. Nec mirum. Nihil enim generis claritatem, virtutisq; gratiam citiùs extinguit, quàm superbia; nihil populo molestius, nihil odiosius. Apud Persas certè hoc etiamnum in vsu est, vt, quæ alter alteri significata vult, nonnisi digitorum signo indicare velit. quem gestũ voce מחג *machág* indicant Hebræi. Porrò quod ad superbiæ gestum & *digitum mittere*, & *digito loqui*, vulgus, & Tertullianus ipse, & ante eum Ionathan, aliiq; accommodant (quorum hic *missionem digiti* Esá. 58, 9. interpretatur nutum, qui fit digito, in morem scilicet arrogantis:) id alii aliter interpretantur. Nam CL. V. Tremellius & Iunius missionem illam de iis enarrant, qui digitum, hoc est, manus, adeoque studia & actiones suas extendunt ad omne opus improbũ. nimis γενικῶς. Marinus de eo; qui iniuriam infert: alii de litigantibus, rixantibus & contendentibus. Nam qui inter se rixantur, manus & digitos crebrò mouent ac porriciunt. immò alter alteri digitum in os intẽdit, inquit R. Dauid Kimchi. Glossæ verò ordinariæ *digitum mittere* est proximum notare, eique detrahere.

Digito docere. Prou. 6, 13.

Digito loqui.

Digitis alligare.

5. Denique ex hoc primo sensu vocis אצבע *étzbah*, natum

tum eſt קשר על אצבעות, *Digitis alligare*, pro, *Continenter exercere & recolere*, vt Prov. 7, 3. *Alliga præcepta mea digitis tuis*: &, טבל אצבע בדם, *Digitū intingere in ſanguine*, pro, Digitos, manus, adeoque totum corpus & vitam comparare ad bene agendum, ut Levit. 9, 9. & 14, 6. item, *βάπτειν τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου ὕδατος*, quod Syrus interpres reddit, צבע ריש צבעה במיא:, *Extremum digitum intingere in aqua*, eoque linguam alterius refrigerare, pro, In extremâ neceſſitate recreare & reficere, Luc. 16, 24. Hæc de primo & proprio, indeque nato tropico ſenſu digiti vocis: ſed alieno ab hoc loco. *Digitos intingere.*

6. Aliquando אצבע, *étzbah*, Hebræis, Chaldæis atque Syris, vt Græcis *δάκτυλος*, Latinis *Digitus*, eſt certa definitaque menſuræ ſpecies, pars videlicet pedis decima ſexta; de cuius pedis ratione videris quæ doctiſſimus vir, Iohannes Capellus, eleganti tractatu ſuo de menſuris recèns edito ſcitè ſcribit: quæ quidem inſtituti noſtri propria eſt ſignificatio. Etenim, vt ex reliquis membris humanis menſuras acceptas teſtantur Vitruvius, Hero mechanicus, & alii, ita ex digito quoque Veteres metiri ſolebant. vt ſanè hominem totum naturâ geometricum eſſe, iidem tradiderunt, & menſuræ ſiue dimenſionis ſymbolum fuit digitus, vt dictum, & *metiri digitis* pro, Rem accuratiùs expendere quàm oporteat, apud eos in proverbium abiit, notumque eſt antiquum Protagoræ in Ariſtotelis philoſophiâ apophtegma, *Hominem eſſe τὸ τῶν ἁπάντων χρημάτων μέτρον, omnium rerum menſuram.* *Digitus menſuræ ſpecies.*

7. Vt autē digitus membrorū hominis minimū ferè eſt: ita minimam etiam menſuram declarat. unde *μέτρον σμικρότατον* dicitur Græcis, præterquam quòd aliis rebus minutiſſimis ſignificandis proverbii ſpecie applicatur: ut, *Tranſverſum non ſecedere digitum*; quum ſpatiolum minimū ſignificatur: &, *Extremis attingere digitis*; quum minimo ta- *Et quidē menſura minuta.*

ctu vel leviſſimè attingimus: &, *Ex unguibus*, quaſi digitis, *æſtimare leonem*; quum ex minimo indicio vel argumento ſumma totius rei colligitur, à Phidiâ, nobili pictore, ſumto adagio; qui dicitur ex viſo leonis ungve totam feri faciem, magnitudinemque, incredibili artis ſuę ſolertiâ repreſentaviſſe. Porrò digitus ille, quando ejuſmodi menſuræ minimæ index eſt, tunc tranſverſus latúsve debet intelligi, ut ſcilicet quatuor grana tritici (quæ & ipſa inter menſuras à nonnullis, & ſingula velut primum ac minimum elementum, in quod ultimò ſubdividuntur menſurarum ac linearum ſectiones conſtituuntur) ſpatium ejus expleant, puta cohœrentia, ſive in latum poſita. Hæc de Digito.

CAPVT IV.

De טפח *tóphach*, ſeu *Palmo*.

Palmus, altera ſpecies menſuræ continuorum.

* Tract. ſchalſchéleth hakkabaláh, de catena kabalæ.

ALtera Hebræis uſitata menſura Continuorum eſt טפח *tóphach* vel *tephách*: quam R. Jechaïas * ſic deſcribit: וטפח האמור בכל מקום ד אצבעות: *Menſura, quæ dicitur tóphach, omni loco eſt ſpatium 4 digitorum*, ſcilicet, ut R. David explicat, אצבעות דבוקות: digitorum cohœrentium, ſive conjunctorum. Et quoniam digiti duodeni efficiunt Dodrantem, qui זרת *zéreth* dicitur Hebræis: ideò טופח *tóphach* חלק שלישי של זרת *triens Dodrantis* vulgò & exegeticè cenſetur.

Palmus triuncialis.

2. Syri, & cum his unâ Rabbini, hanc menſuram appellant בטרי *batri*, סיט *ſit*, פושכא *puſchká*, רזניקא *raznická*, רוסנין *roſenín*, aliiſque nominibus: Latini verò, inque his Hieronymus, modò *palmum*, modò *quatuor digitos* reddunt, modò *tres uncias*. Palmus enim tres habet uncias, quatuor autem digitos. unde cum Polluce Heſychius, Ἐςὶ γὰρ, inquit, τὸ τεττάρων δακτύλων μέτρον.

Dochme.

3. Græcis dicitur δοχμὴ, ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι, *ab accipiendo*, ſive com-

cõprehendendo: & δακτυλοδόχμη, *quasi comprehensio per quatuor digitos:* Hesychio verò δῶρον sive δῶρα quasi *munus*, sive *muneris datio* metonymicè; quæ, ut Vitruvius explicat, semper geritur per palmum manus. unde dictum τετράδωρον, πεντάδωρον, ὀρθόδωρον, &c. quod postremum est mensura, constans digitis circiter denis, sive palmis duobus cum semisse, &c. Aliquando & eidem Hesychio, dicitur σπιθαμὴ, *spithama*, spithama videlicet minor, sed impropriè: item παλαιστὶς, sive παλαιστὸν, & παλαιστή. unde παλαιστιαῖος, & παλαιστιαῖος, is vel id, quod magnitudine palmi est: item παλαιστινοὶ, *Palæstini*, populi antiquissimi Syriæ, κατ' ἀντίφρασιν, quasi longè lateque exporrecti & extensi, non in palmi duntaxat spatium. ut certè constat, Palæstinam olim, Plinio teste,* terram maximam fuisse: & idem Am. Marcellinus confirmat lib. 24. in laudem Palæstinæ his verbis erumpens: *Ultima Syriarum nunc est Palæstina, per intervalla magna protensa, cultis abundans terris & nitidis, & civitates quasdam habens egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi invicem ad perpendiculum æmulas, ut est Cæsarea, Eleutheropolis, Neapolis, Ascalon, Gaza, Julia, &c.* Ob quam caussam Palæstini quoque dicuntur *habitatores funiculi maris* Sophon. 2, 5. ad mare quippe extensi, tanquam per funiculum; quo terras & agros olim metabâtur, dimetiebantur & distribuebât, tritâ phrasi pro terrâ seu regione ipsâ. unde Chaldæus ספר ימא *sephár jamá, oram maritimam* vertit, quasi tractum marinum, ut quæ sita ad mare mediterraneum longè lateque exporrecta fuit. quanquam, ut & hoc addam, Palæstini ab Hebrêâ voce פלשתים *pelisthím*, & Palæstina à פלשת *peléscheth*, dicta videantur verisimiliùs; quæ voces natæ sunt ab inusitato פלש *phalásch*, *Cinere aut pulvere se involvere & conspergere.* quę ceremonia antiquis populis orientalibus luctus atque pœnitentiæ fuit symbolum; quo se cinerem & pulverem terræ, inde ortos, eodemque redigendos, cum humilitate

Spithama.

Palmares dicti Palæstini, & cur.

* Lib. 5. cap. 12. nat. hist.

profitebātur, tanquam *cinere aut pulvere involuti & conspersi*, partim ob vitæ morumque improbitatem, quòd orti à Misraïm, Chami filio, velut τοῦ κακοῦ κόρακος κακὰ ᾠά, *mali corvi mala ova*, ut est in proverbio, in cœnosissimo cinere & pulvere scelerum flagitiorumque volutarentur: partim, quòd hoc nomine significare vellent, etsi opulenti & potentes essent, ac proin superbi & arrogantes, tamen se nihil aliud esse coram Deo, quàm vilissimum & abjectissimum terræ pulverem atque cinerem, tandemque omnem hanc suam opulentiam & potentiam, in cinerem & pulverem, hoc est, in nihilum, abituram. quam utique Veterum consuetudinem in multis Scripturæ locis manifestè observare liceat Jos. 7, 6. Esth. 4, 1. Job. 2, 8. Jon. 3, 6. Mich. 1, 10. Matth. 11, 21. & alibi.

Palmus Hebræus Græco quàm proximus.

4. Cæterùm, ut ad rem redeam, an quæ Græca παλαιστὴ olim fuit mensura, eadem hujus nostræ apud Hebræos ac Syros mensuræ fuerit ratio, etsi nihil certi aut explorati habemus: tamen certissimum est, hanc & alias Hebræorum vel Syrorum mensuras quàm-proximè ad Græcas accessisse: ut passim in Exodo, Regum & Paralipoménων libris, apudque Ezechielem in publicum exstant exempla clarissima.

Idem symbolum rei minutæ.

5. Proverbialiter deinde ad rem itidem brevem aut minutam, ut antè *Digiti* vox, significandam adhibetur טפח *tóphach*, sive παλαιστὴ, & *Palmus*. unde conquestus regius Propheta Psal. 39, 6. *Deum dies suos dedisse palmos*, innuit disposuisse *brevissimos*, cui non plus ævi superfit, quàm est palmus vel spithama, tanquam si dicat *palmares*, vel positos in mensurâ quatuor digitorum vel spithamæ, adeoque *momentarios*, ut vocat Apulejus: vel *breves*, ut reddit Hieronymus: vel מעט מזער *paucissimos*, ut interpretatur Aben-Ezra. in quem sensum Seneca, *Punctum est*, inquit, *quod vivimus, & adhuc puncto minus*. Inde etiam per *parvulos pal-*

los pal-

los palmorum intelligit Jeremias Thren. 2, 20. perquàm brevissimæ staturæ ac tenerrimos, horrendam ævi sui famem depingens; in qua matres comederunt liberos suos adhuc palmares, hoc est, parvulos admodum ac tenellulos. Vatablus reddit *parvulos qui educantur*, metonymicè, respiciẽs in verbum טפח *tippéach*, quod est *palmis distendere* aut *explanare*, aut *palmis ducere* vel *gestare*, ut nutrices & matres solent infantes fasciis adhuc involutos & educari solitos, palmis quasi explanare & dirigere, ut membra in longum & planum distendantur & crescant, ne fiant distorta. quod verbum *tippéach* Scriptura usurpat ἀνθρωποπαθῶς de Mundi rectore Deo, primò quidem Esa. 48, 13. quum dicitur *palmo dextera sua cœlos expandisse*, scilicet ut sint plani & explicati veli instar, ad demonstrandam ejus in creatis & gubernandis cœlis, adeoque totâ machinâ hac, potentiam simul & sapientiam: deinde verò in Threnis cap. 2, vers. 22. quum dicitur Judæos *palmâ gestâsse*, hoc est, summo & intimo amore complexus, uti matres complectuntur infantes, quum eos palmis, hoc est, manibus gestant, mollicule que contrectant.

6. Aliquando per טפח *tóphach*, seu *palmum*, eâdem metonymia declaratur circumferentia sive præcinctio tecti, sive tectum ipsum; prout palmares olim apud Judæos erant projecturæ: ut 1. Reg. 7, 9. ubi Tremellius interpretatur summi muri projecturas, sive loricationes; quas Græci ἐκφορὰς, sive ἐκθέματα, & προβολὰς vocant; quibus laquearia & tectum innituntur. Hæc de Palmo.

Aliquando tectum, vel tecti præcinctionem notat.

Capvt V.

De זרת *Zéreth*, sive *Dodrante*.

Tertia Hebræis usitata Continuorum mensura est זרת *Zéreth*, Chaldæis atque Syris זירתא *Zirthá*. Hæc tribus

Dodrans, tertia species, Græcis σπιθαμή.

constabat palmis minoribus, sive digitis duodenis, vel novem pollicibus, ut R. David notat in Radicũ codice, continens tantum interuallum, quantum est digitis extensis inter pollicem & digitum minimum, siue auricularem: Græcis σπιθαμή· & propriè quidem. unde Διακελικῶς *spithama*, siue palmus *maior* nuncupatur: quæ spithama, definitore Hesychio, est μέτρον ἀπὸ τοῦ μεγάλου δακτύλου ἐπὶ τὸν μικρὸν διάστημα ἐκτεθέν· & Polluce, Εἰ δὲ τοὺς δακτύλους ἀποτείνας ἀπὸ τοῦ μεγάλου πρὸς τὸν σμικρότατον μετρεῖς, σπιθαμὴ τὸ μέτρον, *mensura seu spatium inter pollicem, sive digitum magnum, & digitum minimum interjectũ*. Latinis vocatur *Dodrans pedis*, vel ἁπλῶς *Dodrans*, mensura constãs novem unciis, ut dictum. quam καταχρηστικῶς sic appellant ab asse, quòd ad conficiendum assem desit quadrans. Auctor lexici Talmudici dicit esse אגרוף מתוח לנגד, *pugnum in longum protensum*: & Rabbini, inque his Kimchi, interpretantur חצי אמה, *chatzí ammáh*, *mensuram dimidii cubiti*, cubiti videlicet majoris sive sacri, qui constabat palmis sex. quibus adstipulatur Elias Levita in Thisbithe suo. qui præterea testatur זרת *Zéreth* vocari אצבע קטנה, *étzbah ketannáh*, *digitum parvum*, non quòd ejusdem cum digito sit mensuræ: sed quòd Veteres eo olim mensi sint thymiama, ut tradit idem lexici Talmudici auctor: adeò ut digitus certi moduli fuerit nomen in aridis sacris dimetiendis apud Hebræos, veluti idem in liquidis, aquæductibus nimirũ, certus quidam aquæ modulus fuit apud profanos, quo à priscis Romanis aqua ex castello in vicos aut regiones, aut etiam in patritiorum, vel nobiliorum ædes dividebatur. Habebant enim aquæductus sua castella ad divortia vicorum, ex quibus aqua à castellario per uncias & digitos dividebatur, qui digitus si rotundus esset diametrum habebat unius digiti, ut auctor est Frontinus.

Dodrante definitur

2. Portò hujus mensuræ זרת *Zéreth*, sive *Dodrantis* vel

ſpithama & in longitudine & in latitudine dicitur fuiſſe ſacroſanctum illud & ſtupendum ſacerdotis Aharonici pectorale, cui inditum erat ſublime & planè divinum oraculum veridicum *Vrim & Tummim*, cujus mentio fit Exo. 28, 16. & 39, 9. Sic ὑπέρογκος ille gigas Palæſtinus Goliath, quem David proſtravit ἀντιβολήσας τεύχεσι ποιμενίοισιν, *armatuq́; pedo & fundâ ſtridente*, dicitur altus fuiſſe ſex cubitos cum זרת *Zéreth*, hoc eſt, *ſpithamâ*: & Deus dicitur cœlos expandiſſe בזרת *bezéreth*, *ſpithamâ*: & labrum altaris dicitur fuiſſe circumquaque זרת האחד *Zéreth, hoc eſt, ſpithamæ unius*, ſive *Dodrantis*, ſive *duodenûm digitorum*.

pectorale Aharonicum, Exod. 28, 16.

Goliathes, 1. Sam. 17, 4.

Cœli, Eſa. 40, 12.

Labrum altaris, Ezech. 43, 13.

Hæc de Dodrante.

Caput VI.

De גמר *gómed* vel אמה *ammáh*, ſive *Cubito*.

QVarta menſura Continuorum apud Hebræos eſt *Cubitus* vel *Cubitum*. Hæc gemina ab eis voce inſignitur. Dicitur enim גמר *gómed* vel אמה *ammáh*: Chaldaicè atque Syriacè אמתא *amtá*. unde אמין *ammín*, ejus plurale, in Targum, & alibi, paſſim obvium. Quæ vtraque vox cubitum declarat primùm proprio ſenſu, hoc eſt, os brachii extenſum ab imâ manu ad brachii curvaturam, quo oſſe innitimur: quod quia cum firmitudine fit, ideo אמה *ammáh*, vox altera, ad אמן *amán*, *firmum* vel *ſtabile eſſe*, ſcitè revocatur: Græcis, LXX, Joſepho & aliis dicitur πῆχυς, ἀγκὼν, πυγὼν, & aliis nominibus.

Cubitus, quarta ſpecies.

Cubiti ſenſus proprius.

2. Ab hoc primo & proprio ſenſu vocis גמר *gómed* fit גמר *gammád*, *cubitalis* vel *cubitale*, is vel id, quod cubiti longitudinem æquat: metonymicè *pygmæus*. vnde *Pygmæi*, extremæ Indiæ incolæ, à cubitalis lõgitudinis ſtaturâ (ternos enim Dodrantes non excedere Plinius auctor eſt:) quaſi *cubitales*. ut certè πυγμαῖος dicitur Græcis, Euſtathio

A cubito fit cubitalis: & hinc pygmæi dicti.

& aliis, ἀπὸ τοῦ πυγῶνος, vel tanquam πηχυαῖος ἀπὸ τοῦ πήχεως, itidem à cubiti mensurâ. de quibus cubitalibus, sive breviculæ admodum staturæ homunculis Munsterus, & alii, intelligunt locum Ezech. 27, 11. ubi τ͂ גמדים *gammadím* fit mentio per hæc Prophetæ verba: *Et Gammadæi erant in turribus tuis*, &c. Verum enimvero quum de viris militaribus Tyriorum illic agat Propheta, verisimile non videtur, imò ludicrum est, intelligi ejusmodi brevem atque humilem corpore popellum, qui paullùm supra terrã exstat, ut loquitur Apollinaris Sulpitius apud Gellium: & qui, ut canit Juvenalis Satyr. 13.

——— parvis currit bellator in armis
Mox impar hosti, raptusq; per aëra curvis
Vnguibus à sævâ fertur grue. Si videas hoc
Gentibus in nostris risu quatiere: sed illic
Quanquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non est altior uno.

Rectiùs igitur & menti Prophetæ accommodatiùs intelligamus *Gammadæos*, Phœniciæ populos; quos à cubito dictos existimandum; quia Phœniciæ regio cubitali formâ in mare projecta fuit, à quo postea devorata est *Gammades* forteàn dicta, ut scribit idem Plinius lib. 2. nat. hist. cap. 91. etsi eo loci mutatione unius litteræ *Gammales* nominavit pro *Gammades*: vel certè Tyrii *cubitales* dici possunt ex vocis etymo, quasi lacertosi aut brachiales, hoc est, milites robusti, firmi, validi, fortes, præpotentes, &c.

Cubito emungere, Prov. Cubitum defigere supra panes, Prov.

3. Ab eodem primo *cubiti* sensu nata sunt adagia, Ἀγκῶνι ἀπομύττειν, *Cubito emungere*, apud Græcos & Latinos: &, καταπηγνύειν ἀγκῶνα ἐπ' ἄρτους, *Cubitum defigere supra panes*, in Ecclesiastico cap. 41. vers. 24. quorum utrunque declarat avarum ac sordidum esse: prioris quidem allegoriâ à salsamẽtariis ductâ, quibus mos est narium mucum cubito abstergere, quippe manibus mariâ salsugine oppletis: posterioris

riotis verò ab homine nolente largiri de pane, hoc est, victu vel alimento suo, pauperi vel egeno, sed illud obnixè custodiente. CL. Drusius hoc posterius de eo interpretatur; qui in hoc tantùm incumbit, ut paret necessaria ad vitam, nec de ullâ re sollicitus est, quàm de victu. qui sensus ferè convenit cum priore. Est enim proprium avari, anxiè cogitare de futuris necessariis ad vitam, seque ipsum animi discruciare. unde Tullius: *Magno malo est*, inquit, *hominibus avaritia, idcirco quòd homines magnis & multis incommodis conflictantur propter immensam pecuniæ cupiditatem.* Pythagoras igitur ab hoc malo dehortatus, pulchrè dixit, χοίνικι μὴ ἐπικάθησαι, *Chœnici ne insideas*: hoc est, De victu ne sollicitus sis in diem crastinum, ut explicat Hieronymus. Fuit enim Chœnix, ut suo loco dicetur, dimensum sive cibus diurnus militum vel mancipiorum Græcorum. ad quod omnino Servator alludit Matth. 6, 34. quum dixit: *Ne estote solliciti de crastinâ*, hoc est, excussâ Numinis fiduciâ de rebus futuris, & procul etiamnum absentibus, anxiè ne cogitate. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. quod idem eloquentiæ princeps Tullius sic exprimit: * *Aliquid crastinus dies ad cogitandum nobis dabit*, Morgen ist auch ein Tag: Kompt Tag/ so kompt rath/ &c. *Stulta etenim est meditatio futuri mali, aut fortasse ne futuri quidem: Satis est odiosum malum omne, quum venit*, ait idem de sententiâ Philosophorum *. Cæterùm præter jam positum sensum Junius alium offert. Dicit enim nomine τῆς πήξεως (quam ille *impactionem* reddit) notari non sordes vel avaritiam, *quæ fidem, probitatem cæterasque bonas artes subvertit, proque his superbiam, crudelitatem, Deum negligere, omnia venalia habere edocet*, ut loquitur Sallustius: sed innui violentiam ac furtum. Violentum enim esse, qui rem suam eripit alteri nolenti & contrà nitenti: veluti contrà nititur is, qui panem sive alimentum suum habens, cubitum ei appingit atque circundat, ne eripiatur sibi.

Chœnici insidere, proverb.

* Lib. 15. ad Attic. ep. 8.

* In 3. Tuscul.

Hæc de primâ significatione τῶ גמד *gómed* vel אמה *ammáh*, sive *cubiti*.

Cubitus pro mensurâ. 4. Alterâ significatione, & instituti propriâ, גמד *gómed*, vel אמה *ammáh*, mensuram notant cubitalem, quam Virgilius, Suetonius, & alii, vocant *ulnam* ab ὠλένη, Græcorum voce, *brachium* declarante. Ab ejus enim flexu intervallum est cubitus ad digiti medii supremam usq; partem. Columella nominat *semipedem*, quasi mensuram pedis & semis.

Idem mensura celeberrima. 5. Porrò antiquissima, usitatissima, ac proinde celeberrima mensura est *Cubitus*. unde γενικῶς & κατ' ἐξοχὴν pro *mē-surâ* aliquando sumitur: ut patet ex Jeremiæ loco cap. 31. v. 13. *Advénit cubitus avaritiæ tuæ*. Vbi cubitus est mensura, vel tempus; quod ad mensuram refertur, quo Deus teterrimę avaritiæ & nefando quæstui Judæorum, qui immensurabilis & inæstimabilis fuit, fixit mensuram ac modum. quanquam doctissimus Mercerus exponit per, *Eâdem tibi mensurâ metientur*. ut sensus sit, Eodem modo sive cubito atque librâ repensum iri Judæis, quo ipsi aliis, avaritiâ suâ impulsi, injuriam fecerunt. in quem sensum Græci dicunt, αὐτῷ

Eodem cubito, prov. πήχει, *eodem cubito*, pro, *eâdem mensurâ*, vel *regulâ*. Ex qua generalissimâ significatione natum etiã est κατὰ πῆχυν ἐπεδίδου,

Iuxta cubitũ proficere, prov. *juxta cubitum profecit*, de eo, qui profecit certâ mensurâ; & quidẽ maximâ, sive maximis accessionibus. etsi alii aliter, videlicet aut de eo interpretantur; qui promotus esset ad majora (quod consectarium est superioris:) prout cubiti mensura cæteris mensuris major & amplior est: aut qui ordine legitimo progreditur, tanquam si dicas, à minoribus ad majora paullatim, & κατὰ πόδας: perinde ut in geometricis exorsi à digito, quæ minima est mensura, progredimur ad palmum, à palmo ad pedem, à pede ad cubitum, &c.

Cubitus alius sacer, alius communis. 6. Ut autem veteribus Hebræis in numario censu Siclus, qui monetæ Hebraïcæ princeps est, alius fuit *communis* seu *vulgaris*: alius verò *sacer* sive *legalis* & *ecclesiasticus*: ita in men-

in mensuratum etiam ratione cubitus fuit duplex, *communis* nimirum & *sacer*.

7. *Communis*, dictus אמת של חול *ammáth schél chól*, *cubitus profanus* sive *civilis*, & אמה הידועה *ammáh hajeduháh*, *cubitus notus* sive *vulgaris*, & אמת של כליים *ammáth schél celijm*, *cubitus vasorum* sive *instrumentorum*, fuit is, quem operæ vel architecti (unde & *architectorum cubitus* vocatus) vulgò observabant in dimetiendis rebus non sacris sive ecclesiasticis, sed communibus & civilibus: qui dicitur exegeticè, sive ad differentiã cubiti sacri אמת איש *ammáth isch*, *cubitus viri* seu *vulgi*, ad vulgarem scilicet rationẽ longitudinis cubitalis, Deut. 3, 11. & אמת מדה *ammáth middáh*, *cubitus mensuræ*, mẽsuræ scilicet notæ, & ab omnibus receptæ, Jos. 3, 4. Hic cubitus quinis constabat palmis, juxta Hebræorum definitionem, hoc est, vicenis digitis Hebraïcis, seu quinis denis pollicibus vel unciis. quam sententiam firmat inter Hebræos R. Aben-Ezra, expressè scribens, Cubitum notum sive vulgarem & communẽ palmos continuisse quinos. Alii magnæ doctrinæ & auctoritatis viri recentiores cubitum communem Hebraïcum duplo faciunt minorem sacro, hoc est, palmis definiunt duntaxat tribus, prout sacer, qui duplo major fuerat, palmos continebat sex. Hæc sententia quia nonnisi monetæ Hebraïcæ ratione, quâ civilis Hebræorum Siclus duplo minor erat sacro, & econtrariò sacer duplo major, videtur niti: ideò Lectoribus æstimandam relinquo.

Communis adhibitus civilibus structuris.

8. Hujus cubiti mensurâ, diluvij olim tempore, ᾧ θεὸς ὕβριν τίννυτ' ἐφημερίων κακομήχανον, quo Deus dira piacula cuncti, Eluit orbis. definita videtur *Arca Noachi fabrica*: adeò ut senos continuerint palmos singuli. quanquam geometricos hîc accipiendos velint quidam, quos singulos sex cubitos habuisse Origines testatur in sermonibus, quibus librum ortus Mundi explanat, & Augustinus lib. 1. Quæst. super Genesin: quò satis amplum hoc ædi-

Cubito cõmuni definita arca Noachi. Gen. 6, 15.

ficium ad tot animantium genera recipienda fuisse constet. Quidam Ægyptios intelligunt; quorum singuli continebant nostros communes quinos: Moses quandoquidem ille magnus omni sapientiâ Ægyptiorum, qui geometriam summopere dilexerunt vehementerque coluerunt, fuit eruditus. Sed simplex sententia est, fuisse cubitos communes & vulgares, pro modo videlicet cubitorum humanorum, qui Mosis tempestate, qua diluvii historiam descripsit, in usu esse potuerunt.

Aquæ diluvii & alia Gen. 7, 20. &c. Num 11, 31. & 35, 4. Deut. 3, 11.

9. His etiam cubitis *Aquæ* invaluerunt: & *Coturnicum in deserto volatus* circumscriptus: & *Suburbana prædia civitatum Levitis datarum* distributa: & *Sponda ferrea* τοῦ γίγαντος πελωρίου *Ogi* repræsentata. qui gigas (immane dictu) tam ingens capiti suo saxum imposuisse fertur, ut eo totam Israelitarum multitudinem uno jactu obruisset, nisi upupa advolans, & humeris gigantis insidens, continuâ corrosione lapidem perforâsset: unde caput ejus fuit transmissum. quod tamen neque dum ei impedimento fuerit, nisi dentes ipsius subitò tantùm crevissent & prominuissent, ut nec sursum, nec deorsum saxum movere potuerit: sic autem prægravatum & oneratum à Mose, occubuisse.

——— *credat Judæus appella, Non ego*:

ait ille. Et quî credamus fabellam nimis olentia? Sed his & similibus Rabbinorum scatent scripta. quanquam & κεχαρισμένα τε καὶ χρήσιμα multa contineant.

Bipennis Ehudi & alia, Iud. 3, 16. 1. Sam. 17, 4. Esth. 5, 14. & 7, 9. 1. Reg. 7, 2,

10. His præterea cubitis definita fuerunt *Ehudi bipennis*: & *Goliathi altitudo*: & *Hamanis patibulum*, ad Mardochei necem paratum: & *Domus saltus Libani*, aliæque civiles privatæve structuræ Solomonis. In quibus structuris cubitos communes intelligendos esse, liquet ex eo, quòd domus saltus Libani major & amplior fuisset domo Dei, si illa cubitis sacris intelligeretur constructa. ut taceam ædificium fuisse non sacrum, sed politicum & civile, quippe

eo

eo constructum fine, ut tempore æstivo purum & recentem ibi aerem hauriret rex, aque Sole æstuante protegeretur. unde Jonathan, paraphrastes Chaldaïcus scitè vertit בית־מקרת *beth-mikráth*, *domum* vel *locum refrigerii*, & בית־קיטא *beth-kajetá domum* vel *locum æstatis*; quo scilicet uteretur tempore æstivo, Sole medio, rapido & flagranti: cujusmodi umbrosa aut nemorosa loca Latini *Aestiva* unâ voce: Græci verò θερινὰ appellant; in quibus per æstatem torrentis Solis ardor potest vitari.

11. Sic cubitorum istorum mensurâ delineatæ fuerunt *Columnæ æreæ Solomonis*: quibus triceni quini cubiti simul in longitudine tribuuntur: verùm in longitudine apparente ambarum columnarum, non autem in verâ. Nam vera utriusque longitudo describitur 1. Reg. 7, 15. ubi singulæ dicuntur habuisse octonos denos cubitos in longitudine: illic verò ambabus tribuuntur tantùm triceni quini, propterea quòd singulæ videbantur habere septenos denos, & semis. Singularum enim dimidius alter cubitus abscondebatur in capitello. quanquam & poni potuit numerus rotundatus 18 pro decurtato $17\frac{1}{2}$. more in scripturis usitato. quod ideò observet Lector, ut videat, hunc Paralipoménωn locum cum illo Regum convenire. Junius aliter utrunq; conciliat, quē vide in annotatis ad 1. Reg. 7, 15. &c. *Columnæ æreæ, 2. Par. 3, 15.*

12. Tales cubiti communes intelliguntur 2. Reg. 14, 13. & 2. Par. 25, 23. ubi in Hierosolymorum muro, à portâ Ephraïmi, usque ad portam anguli, Joas, Israelitarum rex, perrupisse dicitur cubitos quadringentos. Et Nehem. 3, 13. ad exstruendos muros ejusdem urbis cubiti communes & vulgares fuerunt adhibiti. *Perruptio muri Hierosolymitani. 2. Reg. 14, 13.*

13. Hujusmodi etiam cubitus intelligatur Matth 6, 27. quum dicit Servator: *Quis autem ex vobis sollicitè cogitando potest adponere ad staturam suam* πῆχυν ἕνα, *cubitum unum*, *Matth. 6, 27.*

ſive, ut reddit Syrus interpres אמתא חדא *amtá chadá?* Ubi & communis cubitus, & omnino quævis menſura, & minor etiam cubito, adeoq; minima ſynecdochicè intelligitur: myſticè verò innuitur ſumma hominis imbecillitas, qui vel omnes, & maximos intendens nervos ſtaturā ſuam grandiorem aut minorem facere nequit. Creatori igitur omnipotenti & omniſcio, ſeq; reſq; ſuas jubetur committere, pro ſuo arbitrio omnia agenti ac diſponenti.

Tantum de cubito communi vel civili.

Sacer cubitus adhibitus ſtructuris ſacris.

14. *Sacer* deinde non niſi ad ſacrarum ſtructurarũ commenſus fuit adhibitus: ideò dictus Hebraïcè אמת הקדש *ammáth hakkódeſch, Cubitus ſanctuarii, &* אמת אמת *ammáth émeth, Cubitus veritatis* ſive *verus, &* אמת הבנין *ammáth habbinjan, Cubitus ædificii,* hoc eſt, Templi, ædificii nimirum ejuſmodi, quod fuit

—— βροτοῖς πάντεσσι σεβαστὸν
κάλλεϊ καὶ μεγέθει πεθαμβεῖ καὶ δαπάνῃσι,
—— *cunctis per terrea regna ſtupendum,*
Ob molem, ſumtusq́ʒ, arteſq́ʒ, omnemq́ʒ decorem.

Cæterùm hic cubitus communi major & amplior fuit palmo, ſive quaternis digitis, aut ternis pollicibus vel unciis. Ut igitur communis cubitus palmos continebat quinos, h.e. digitos vicenos Hebraicos, ſeu quinos denos pollices ſeu uncias: ita ſacer hic palmos continebat ſex, h.e. digitos vicenos quaternos Hebraicos, ſive pollices vel uncias denas octonas. quo nomine πυγῶνα Atticum, & præterea δῶρον efficiebat, h.e. πῆχυν. Ut enim cubitus communis Hebræorum ἁπλῶς reſpondet πυγῶνι Attico: ita ſacer non ineptè comparatur cum eo, qui dicitur πῆχυς. Quod manifeſtè apparet ex duplici Ezechielis loco: Priori, cap. 40. v. 5. *Ecce autem murus erat à parte extimâ domus circumquaq́ʒ: & in manu illius viri calamus menſuræ ſex cubitorum: ex cubito & palmo ſingulorum.* Poſteriori, c. 43, v, 13. *Hæ verò ſunt menſuræ altaris*

ris iisdem cubitis, sc. qui definiti sunt suprà, cubito unoquoque ex cubito & palmo, &c. Quo utroq; loco LXX expresſè & manifestariè statuunt τ̄ πήχυν cōstare ἐκ πυγῶνος ϗ παλαιστῆς. Hîc igitur cum Munstero, Vatablo, & aliis, viris nō solùm eruditione, sed & fide spectatâ, sex cubitos sacros, quos longus erat mensuræ calamus, intelligendos censeo; quorum singuli ex communi, præterea & palmo constabant. qualem cubitum sacrum אמה וטפח *ammáh vetóphach*, h.e. *palmi-cubitum* aliter Hebræi, & ipse etiam optimę notę Chaldaicus paraphrastes appellāt: Hieronymus verò, & interpres vetus vulgatus *verißimum* cubitum & *perfectum* interpretantur. Hæc sententia ut simplicissima est, & veritati maximè convenit: ita in eam non tantùm commemorati interpretes recentiores, sed antiquissimi etiam, & coryphæi Hebræorum doctorum, Aben-Ezra, Jarchius, & Chaldaïcus ὁμοθυμαδὸν discedunt. Nam, cæteros ut transeam, Aben-Ezra quum disertè dixisset, cubitum notum sive vulgarem & communem quinq; constare palmis, ut suprà tetigi, statim subdit: *Iste autem*, nempe sacer, *habuit palmum amplius: fuit enim sex palmorum*. Citat deinde textum ex Misna: in quo traditur cubitū ædificii seu templi, aut rerum solidarum & immobilium fuisse sex palmorum: at cubitum vasorum & instrumentorū, h.e. communem & civilem, fuisse palmorum quinq;. quam descriptionem R. Jechaias calculo suo probat tractatu de Catenâ Kabalę. Quę quum ita sint, non injuriâ miretur quispiam, quare diligētissimus alioqui harum rerum scrutator, Georg. Agricola, communem cubitum palmis senis, sacrum verò septenis circumscripserit: nisi fortè Legis tempore majorem fuisse existimârit, atque ita tertium quendam, quem Legalem videatur vocare, constituerit.

15. Atq; ob hunc excessum, quodque ad structuras maximi momenti, ut erant sacræ, Tabernaculi nimirum & *Idem dictus mensura princeps, et cum.*

Templi, cubitus hic adhiberetur: ideò מדה ראשונה *middáh reſchonáh*, *menſura princeps* ſeu *prima*, vel *primaria*, ſive primariis ædificiis adhiberi ſolita, vocatur 2. Par. 3, 3. quanquam εὐςοχώτατος ille Arias, Vatablus, & alii, primam hîc interpretantur non menſurâ, ſed tempore, quaſi primis & antiquis illis temporibus, quum Tabernaculum exſtrueretur, uſitatam.

Eodem definitum tabernaculum, & Vaſa ejus, Exod. 25. Item volumen volans, Zach. 5, 2.

16. Cæterùm hoc cubito ſacro, auguſto, perfecto & abſoluto definita fuit Tabernaculi, ut dixi, Templi & aliarum rerum ſacrarum ſtructura; quarum multa mentio Exod. 25. 26. 27. 30. 36. capitib. 1. Reg. 6. 7. cap. & 2. Par. 3. 4. 6. cap. & Ezech. 40. 41. 42. cap. Nec non *Volumen volans* cubiti hujus menſurâ definitur Zach. 5, 2. longitudine videlicet vicenûm cubitorum, & latitudine denûm. quæ veſtibuli Templi olim fuit magnitudo. quo myſticè ſignificatur *Volumen grande & amplum*; in quo tum innumera hominum peccata conſignata ſunt, tum infinita maledictio proponitur iis, qui ἀμετανόητοι libidinum peccatorumque licentiam ſectantur. *Mortis librum* aliter Scriptura vocat ad diſtantiam *libri Vitæ*: in quo Mortis libro continentur οἱ γεγραμμένοι εἰς τὸ κρῖμα, ut loquitur Judas verſ. 4. vel οἱ τεθεμένοι εἰς ὀργὴν, ut Paulus 1. Theſſal. 5, 9. vel οἱ κατηρτισμένοι εἰς ἀπώλειαν, ut idem ad Roman. 9, 22. vel *qui ſcripti ſunt in terra*, הנכתבים בארץ, *hannictabím baáretz*, ut Jeremias loquitur cap. 17, v. 13.

Tantum de cubito ſacro, adeoque de Menſuris Continuorum generatim.

CAPVT VII.

De קנה *Kanéh*, ſive *Arundine*.

Arundo inſtrumentum dimetiendi intervalla.

HAud extra rhombum videtur de Inſtrumentis etiam aliquid ſubtexere, quibus veteres Hebræi intervalla dimenſi

dimensi sunt. Eorum præcipua, communissima & usitatissima fuerunt *Arundo* & *Funiculus*.

2. *Arundo*, Hebraïcè קנה *kanéh*, absolutè, & קנה דמדה *kanéh hamiddáh*, additâ *mensuræ* voce, calamum declarat mensorium, sive perticam vel virgam mensoriam, quæ Syris unâ & propriâ voce dicitur כליל *selil.* quod instrumentum fuit dimetiendis structuris & agris idoneum, sex cubitos sacros vel perfectos longum: qui faciunt septenos communes seu civiles, & præterea palmum, hoc est, pollices Hebræos centũ & octo: prout singuli cubiti sacri pollices Hebraïcos continebant octodecim. à qua vel voce, vel mensurâ *kanéh* verisimile est natam esse Italorum mensurã *Cannam*, in hãc usq; diem apud eos locis aliquot usitatam; quam Pierius Valerianus pedibus definit circiter senis: Hieronymus verò Magius decem palmos sive Dodrantes pedis Romani conficere testatur. Vt enim Arundo propter internodia modò pedum modò palmorum speciem præ se quandam refert, ita cùm pedibus, tum palmis definiri diversâ ratione potest.

3. Apud Ægyptios, Græcos, Romanos, viarũ agrorũq; periti metatores usi olim sunt perticâ vel virgâ, qua hac etiam tempestate utuntur in Europâ, quamq; Græcis & Romanis decem pedes longam fuisse Suidas refert. Hac qui utebantur, *decempedatores* fuerunt dicti, ipsa verò mensura δεκάπους, sive μέτρον δεκάπουν, hoc est, *Decempeda*: prout πεντάπους sive *Quincupeda* à quinis pedibus, & ἑξάπους sive *Sexempeda* à senis pedibus nomen sunt sortitæ. quæ decempeda vicies & quater ordine posita longitudinem, duodecies verò latitudinem jugeri mensori apud Romanos expediebat: ut certè compendiosiùs jugeri quantitas per decempedam invenitur, quàm per pedem. Interpres Apollonii in Argonauticis talem perticam vel virgam scitè appellat ἄκαιναν: quòd videlicet sustulerit occasionẽ τοῦ καίνειν ἀλλή-

Pertica. *Decempeda.* *Acana.*

λους, *se mutuò necandi*. In Ægypto enim, quum Nili diluvio, Sole herculei terga leonis adeunte, hoc est, circa solstitiũ æstivum, *νέος ἰλὺς, novus limus* (unde doctâ sanè elegantiq; compositione Nilus ipse est dictus:) quotannis inveheretur, agrorum limitibus inde confusis, utpote mollitis passim & oblimatis, adhibitâ hac virgâ, suos quisque agros dimensos recipiebat absq; cædibus & pugnis.

Arundo mensoria typus S. scripturæ.

4. Porrò Instrumenti hujus, sive *Arundinem*, sive *Decempedam* appellare libeat, luculenter meminit Ezechiel c. 40. vers. 3. & Johannes Apocal. cap. 11. vers. 21. & 21, 15. quo *regulam scripturæ* sacræ uterque significat mysticè; per quã Christus, informator & instaurator Ecclesiæ suæ, hæresq; omnium à Patre cõstitutus, puritate & gloriâ lucidissimus & splendidissimus (unde *chalybis tersi* comparatione designatur:) Pios, tanquam templum suum, in quo habitet, cultumque eorum metitur.

Arundo aquatica. Iob. 40, 16. Esa. 19, 6.

5. Alioquin קנה *kanéh* (quod operæ est notâsse propter studiosos Linguæ:) propriè est *arundo* sive *calamus aquaticus*, in ripis limosis plurimùm nascens, & maximam cum papyro originis habens affinitatem. quam & hieroglyphicè propterea in hoc Persiano designat:

Inq; manus chartæ nodosaq; venit arundo.

Arundo quassata typus hominis infirmi. Esa. 42. 3. Matth. 12, 20.

Arundo agitata a vento. Proverb. Matth. 11, 7.

A quo proprio sensu hæ natæ perpulchræ locutiones: קנה רצוץ *kanéh ratzútz, Arundo quassata*, de Homine, à ruina non procul absente, veluti infirmo, mente fracto, vacillante, inq; exitium suum propendente: cujus notæ homines quia Deus non pessundat, sed lenissimè & mitissimè tractat, eis consulendo, nutantesq; confirmando ac sustẽtando, ideò dicitur *Arundinem quassatam non frangere*: Et, קניא דמן רוחא מתזיע Κάλαμος ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενος, *Arundo agitata à vento*, de Homine levis ingenii, modò huc, modò illuc moveri solito, atque, ut loquitur Apostolus, quovis doctrinæ vento fluctuante, vel de Re nihili, ludicrâ,

dicrâ, & passim obviâ, cui spectandæ nullus pedem moveat: Et כאשר ינוך הקנה במים *ut Arundo in aqua movetur*, de perpetuo & assiduo motu, tanquam si dicas, ἀπαύστως, Indesinenter, Perpetuò, Absq; intermissione, Arũdinis in morem, subinde agitari solitæ vel ab aqua decurrente, in qua crescit, vel ab eâ agitante vento: Et, בטח על משענת הקנה *in Arundinis quassatæ scipione confidere*, pro, spes figere in iis, qui non tantùm non possunt præsidio esse, verùm etiam noceant destituto: ut Arundineus scipio non modò non sustinet nitentem, aut gressum ejus stabi'it, verùm etiam manum penetrat ac vulnerat. quæ certè caussa potuit esse, cur Servator coronam è spinis contextam, capiti impositã gerens, arundinem in dextra impactam haberet, videlicet ut non tam per lasciviam & ludibrium militum regia quędam species ei affingeretur, quàm ut μυστηριωδῶς declararet Spiritus sanctus, illum pro vano & inani, infirmo fragilique bacillo validissimum firmissimumq; nobis sceptrũ, hoc est, regnum, cujus insigne est sceptrum, gratuito dono ac merâ liberalitate comparavisse.

Ut Arundo in aqua. *Prov.* *1. Reg. 14, 15.*

In Arundinis quassatæ scipione confidere, Prov. *2 Reg. 18, 21.* *Esa. 36, 5.* *Ezech. 29, 6.*

6. Aliquando voce קנה *kanéh Calamus aromaticus* qui producit saccarum, Syris proprio nomine dictus קשבא *kaschbá*, significatur metaphoricè, *Cãna* Ovidio, Columellæ & aliis, vulgò *Canella*; quæ Canna sive Canella ab hac nostrâ Hebraicâ est orta ἀναμφισβήτως, quòd nimirum & gracilitate, & longitudine, ac crassitie arundini aquaticæ sit similis. unde Strabo testatur, in Africâ cubitos quinos longas, crassas verò digitum minorem cannas nasci; quæ ipsa ferè arundinum longitudo est, & crassities.

Calamus aromaticus. *Exod. 30, 23.*

7. Aliquando *Calamus* notatur *artificialis* in candelabro sacro Mosis: &, *Culmus frumẽtarius* à radice usq; ad spicã: &, *Fustis* sive *Lancea*, vel *Sagitta*, quippe instar arundinis lõga, vel ex arundine factã, longioribus sc. internodiis, lævore, pceritate, rectitudine, & soliditate præstãs. unde חית קנה

Calamus artificialis. *Exod. 25, 29.* *Culmus frumentarius Gen. 41, 5.* *Fustis, vel sagitta.* *Psal. 68, 31*

chajáth kanéh, caterva arundinis dicta metonymicè, quæ longis fustib⁹, vel lanceis, vel etiã sagittis est armata. Ad quod omninò Virg. allusit Æn. 7. —— *pérq; ilia vénit Arundo*: sagittam intelligens; cui conficiendæ apud Romanos etiã arundo usum præbebat, ea propter *arundinea* dicta in his Poetæ verbis: *Vestit arundineas & certatura sagittas*. Quinetiam *os brachii superius oblongum, Acetabulum* Latinis, cui coxendix infigitur, & circa quod vertitur os coxæ: nec non *Statera*, cui hinc inde filis appenduntur bilances, sive *Regula transversa*, cui pondera appenduntur, quęq; longitudine arundinem refert, hac voce egregiè insigniuntur. Hæc de Arundine sive Calamo.

Os brachii, Iob. 31, 22. Statera, Esa. 46, 6.

CAPVT VIII.

De חבל *chébel*, sive *Funiculo*.

Funiculus, alterũ instrumentũ dimetiendi intervalla.

ALTERUM Instrumentũ, quo veteres Hebræi intervalla dimensi sunt, fuit *Funiculus*; qui aut ἁπλῶς dicitur חבל *chébel*, aut addito *mensuræ* nomine חבל המדה *chébel hammiddáh, funiculus mensuræ*, hoc est, mensorius Zach. 5, 2. ubi כברת ארץ *kíbrath éretz, mensura terræ*, à Scholiastis exponitur, tanquam idoneum terris dimetiendis instrumentum.

Per funiculum dimetiendi mos olim frequens. Amos. 7. 17. Ios 17. &c. 2. Sam. 8, 2.

2. De hoc Instrumento, & more per illud dimetiendi non tantùm Amos luculenter testatur, quum dicit: *Et terra tua dividetur funiculo*: sed idem Judæorum Principis Josuæ exemplum clarissimè docet; qui in potestatem suam subactam Cananæorum terram partitus est inter Judæos funiculis, &c. Quem morem εὐπόλεμος ille David imitatus, Moabitas, hostes suos, à se prostratos ac fusos, mensus est funiculo, dejiciendo eos in terram; & mensus duobus funiculis, quos morte afficeret: integro autem funiculo; quos in vita conservaret, adeò ut regionis incolas in tres partes partitus sit, ex quibus unam conservaret, iis occisis, qui in duabus aliis erant partibus.

3. A quo Veterum more cœpit postea vox חבל *chébel*, *funis* sive *funiculus*, metonymicè usurpari pro *regione* vel tractu: ut Deut. 3, 4. *Et cepimus totum funiculum Argobi*, id est regionem. & Sophon. 2, 5. *Væ habitatoribus funiculi maris*, id est, regionis maritimæ, ad mare sitæ, &c. *Idem pro regione usurpatus.*

4. Sed & eleganti significatione חבל *chébel*, sive *funiculus*, accipitur ἀντὶ τῆς συνουσίας, pro *cœtu* vel *societate*; quæ in regione aut tractu, quem quasi funiculo antè mensus sis, sit congregata. quæ significatio habetur 1. Sam. 10, 5. *Et occurres funiculo Prophetarum, descendentium de excelso.* Vult dicere, *cœtui* vel *turbæ*, sacræ Scripturæ vel Legi operam dantium; quorum alii filii, hoc est, discipuli, Prophetarum; alii Prophetæ simpliciter sunt dicti. Sic quum dicitur Psal. 119. *Funes improborum implicaverunt me*, Chaldaïcus paraphrastes non *funes* reddit, ut Hieronymus: sed *cœtus* sive *catervas*, tanquam si dicat, *Catervæ* vel *turbæ improborum implicaverunt*, vel certè diripuerunt aut prædati sunt me. Sic enim etiam verbum additum potest verti. Clariss. Piscator loco Samuelis cœtum à fune dici putat propter elegantem ordinem, quo quasi uno fune trahentes de loco excelso descendebant. Rectè & appositè. Videtur enim ille tropus esse, quo Græci Historici & ipse S. Matthæus cap. 27. vers. 27. σπείρας, & Ennius græcissans, cum Nazario, Suida & aliis ejus notæ scriptoribus, *spira* nomine, non tam restim, vel funem ex multis funiculis ita circumvolutum, ut in se non recurrat, intelligunt, quàm manipulum, aut legionem, justiorem scilicet & pleniorem, quæ legionaria cohors est dicta, hominibus constans quadringentis & vicenis. quanquam quingenarias & sexcenarias etiam legas. *Pro cœtu vel turba in regione.*

5. Aliquando חבל *chébel*, sive *funiculum* pro possessione & sorte, vel portione hæreditariâ reperias. quo sensu Jacob Patriarcha, hoc est, posteri ejus, populus Israeliti- *Pro possessione hæreditaria.*

cus, dicuntur *funiculus possessionis Dei*, possessio nimirum sive portio hæreditaria, Dei peculium, Deut.32,9. Sic Jos. 17,5. dicuntur Manassi accidisse decem *funiculi*, hoc est, possessiones, sive portiones. Videris & versu 14. & Psa.16,6. & 78,55. & Ezech. 47,13. &c. Quibus locis omnibus per *funiculum* intelligitur possessio sive hæreditas, quæ huic vel illi obvenit in agrorum divisione, factâ per funiculum. Unde Micheas c.2.v.5. *Projicere funiculum* dixit pro *hæreditatem partiri*, metonymiâ signatissimâ.

Funiculũ projicere, Prov.

Funiculis dimetiri soliti etiã Persæ.

6. Cæterùm hunc Hebræorum per funiculum dimetiendi morem Persæ sunt imitati: apud quos non tantùm ea consuetudo fuit frequens: sed funiculus ipse in linguâ eorum pro certâ mensurâ acceptus, continẽte scilicet stadia LX, ut placet Herodoto. quanquam Plinius ex Eratosthenis, & vulgò receptâ sententiâ, XL tantùm stadiis funiculum ejusmodi describit: in qua tamen significatione sæpiùs usurpatur τ̃ σχοίνȣ, *schæni* vox; quæ Ægyptiis inprimis fuit usitata mensura, itidem ex fune vel chordâ constans, dicta ex primo vocis σχοίνȣ significato, quo *ulvam* vel *juncum* declarat; quia ex ulvâ & junco palustri, ut Plinius tradit lib.12, cap.1. funes nectuntur. a quo duplici sensu nata sunt protrita apud idoneos auctores, σχοινίζειν, *fune metiri, circumscribere, finire*: σχοίνισμα *pars agri, fune descripta*: σχοινισμὸς *dimensio & descriptio per funem*: σχοινιοσύμβολος, *qui in navi convolvit funem in spiram*: σχοινοβατεῖν, *ire per extentum funem*, ut loquitur Flaccus, à quo σχοινοβάται dicti, quos *funambulos* appellat Terentius. Sed & allegoriè LXX Bibliorum interpretes à *funis* sensu per σχοῖνον intelligunt vitæ hominis institutum & progressum, quæ quasi per funiculum ad *δικαίωμα* certúm Dei & gentium est conformanda ac dirigenda, Psal.139,3. in his verbis: τὴν τρίβόν μȣ, καὶ τὸ̃ σχοινόν μȣ σὺ ἐξιχνίασας, *semitam meam, & funiculum meum investigâsti.* quanquam qui Hebraicam sequuntur lectionem

Schoenus mensura Aegyptiorum.

grab-

grabbatum ex junco factum intelligere videantur, dum ὀχεῖον reddunt *accubitum*. ut certè Hebraica vox רבע *rébah*, ex Chaldaicâ origine derivata, *accubitum* notat, licet figuratè. Propriè enim רבע *rébah* quartam partem rei, sive id, quod quadratum aut τετράγωνον est, declarat, quasi lectum vel spondam quadratam: quæ forma lectis ferè peculiaris est, ut constat. Porrò, ut ad schœnum, quâ mensura est, redeam, mirum non debet videri, de ejus longitudine non satis convenire inter scriptores, quum Strabonis testimonio comprobatum sit, apud ipsos etiam Ægyptios schœni longitudinem variè & inconstanter observatam & consideratam fuisse: siquidem in quibusdam locis Schœni singuli constabāt stadiis CXX. in aliis LX. in aliis XL. in aliis XXX.

7. Redeo ad nostrum חבל *chébel*, etsi de hujus primo sensu, quo funem designat perplexum aut complicatum, a חבל *chabál contrahere, obstringere*, &c. ut fit fune, plura hîc monere supervacaneum est, καὶ ἐκτὸς τ̃ ἐλαιῶν, tamen non pigebit alia quædam ejus significata non levis momenti, auctarii vice, adjicere: veluti, *Funem abscondere* Job.28, 10. pro, Capere & irretitum tenere laqueo: &, *Funem argenti solvere* Eccl.12, 8. pro, Abrumpere vitam, ut abrumpitur iis, quîs abbreviatur medulla in dorsi spina, quæ alba ut argentū (unde & *Argentum* dicta:) ac à cerebro descendit per spinā dorsi instar funis, ut senibus accidit, qui in senectute propterea breviantur; quia medulla illis breuiatur: item, *Funes indere capiti* 1. Reg.10, 31. pro, Capitis reatū, h.e. ultimū supplicium se promeritū testari; idq; propterea humillimè deprecari, hoc tanquam externo symbolo. quæ nota sontica adhuc nostro ævo usum habet, quum reus funē in collo gerit: Item, *Funibus peccati teneri* Prov.5, 22. pro, Peccatorū pœnas luere: &, *Funib. vanitatis trahere iniquitatē* Esa.5, 18. pro, Nihil agitare nisi malum omni studio, addere peccata peccatis, inque eis occallescere. &, *Funibus hominis*

Funiculus pro fune complicato.

Funem argenti solvere, Prov.

Funem abscondere, Prov.

Funes indere capiti, Prov.

Funibus peccati teneri, Prov.

Funibus hominis trahere, Prov.

vel amoris trahere Hos.11,6. pro, Humanissimè amicissiméque tractare: de Deo, quàm clementissimè educente populum Israeliticum lassum ex Ægypto per desertum, in terram sanctã, & postea legibus, ceu funibus, eos constringente. ut certè per funes seu vincula intelligũtur *leges* Psal. 2,3. Hæc de Funiculo.

Funiculi pro legibus.

CAPUT IX.

De צער *Tzáhad, sive Passu, & aliis Passûs nominibus.*

HACTENUS expositæ sunt primæ voces Continuorum mensuræ apud Hebræos vel Syros: sequuntur ab eis ortæ, nempe *Passus, Stadium, Milliare.* quæ etsi Græcorum & Romanorum propriæ sunt: tamen quia vel saltem Hebraïca earum nomina illustrandæ Scripturæ sacræ oppidò serviunt: ideò omittendæ minimè videntur.

Tzáhad, prima vox passus.

2. *Passum* ergo Hebræi primò generaliterque vocant צער *tzáhad* ab *incedendo* vel *progrediendo*, ut sit passis vel diductis aut expansis cruribus seu pedibus, tanquam si *incessum* vel *progressum* dicas. Significat autem propriè extensionem pedum in progrediendo sine certâ mensurâ: homines quandoquidem alii longiores, alii breviores faciũt passus, neque eosdem semper æquales: prout motus animalium varii sunt, & plerunque inæquales, tum aliorum ad alios, tum singulorum ad se, juxta concepti impetus membrorum vim. Synecdochicè est *passus major*, quinque continens pedes, quem Latinorum inprimis passum fuisse Columella, Boetius, & alii testantur, qui gressus Hebraicos continebat duos. qua mensurâ Geographi & Geometræ communi consuetudine utuntur. unde tum *Geographicus*, tum *Geometricus, major*ve passus, ad differentiã gressus, qui minor passus est Hebræis, vocatur. De hoc passu, complectente

ctente pedes quinos, Hebraicos nimirum, loquitur Scriptura 2.Sam.6,13. *Erat autem, quum progreßi eſſent portantes arcam Jehovæ, nempe Sacerdotes,* ex præſcripto Legis, *ſex paßibus, ut ſacrificaret boves, & pingvia ſacrificia,* David nimirum, operâ vel miniſterio ſacerdotum. quod veriſimile eſt, eum feciſſe nō ſingulis ſenis paſſibus: ſed ſemel; initiò quidem, quum loco moverēt è domo Obed-Edomi ad initiandam feſtivitatem: & iterum, quum ad locum ſtatutum perveniſſent, nempe in civitatem Dei, ut expreſsè docet verſus 17. ubi dicitur David eorundē operâ holocauſta obtuliſſe coram Jehova, & euchariſtica, quum introductâ arcâ ſtatuiſſent eam in loco ſuo, intra tentorium, quod tetēderat ei David, antequam adduceretur arca. Qua de poſteriori oblatione vel ſacrificatione intelligendus videtur locus 1. Par.15,26. quòd nimirum feliciter peractâ tranſportatione arcæ, in qua Deus Levitas, arcam geſtātes, & totum comitatum benignè adjuvit, aq; omni malo defendit, gratitudinis ergò ſeptenos juvēcos, & totidem arietes ſacrificârint. Aliter ſi bina loca explices, nempe ſingulis ſenis tzahadím ſacrificationē illam factam, quum videlicet Levitæ arcam geſtantes interquieſcerent, & alii aliis ſuccederent: tum planè in ſententiā doctiſſimi Capelli diſcedo, qui Hebraicam vocem צער *tzáhad* putat accipiendam pro *ſtadio*, vel alio minori curriculo, puta LX. vel CXX paſſuum. Alioqui enim neq; integer menſis, neq; Regum Solomonis & Joſię hecatombæ omnes ſimul aggregatæ ſuffeciſſent ad conficiendum iter longiuſculum, quale eſſe poterat a domo Obed-Edomi, ad locum Hieroſolymis arcæ deſtinatū. Verùm quoquo ſenſu accipias צער *tzáhad*, metaphoricè quoque varias vitæ actiones ſignificat tum adverſis, tum ſecūdis rebus. unde dicunt, *Greſſum bonum facere* Proverb.30, 29. *Greſſum ſtabilire* Proverb.16,9. *dirigere* Iere.10,22. *numerare, videre*, paſſim apud Jobum. *venari* Thren.4,18,

Item, *Greſſui locum dilatare* 2. Sam. 22,37. Quibus locis non tam greſſus, vel paſſus, quàm vitæ inſtitutum & actio declaratur: cui reſpondet fœmininum צעדה *tzahadáh*. quod præter *paſſûs* ſenſum, metonymicè & ſynecdochicè pro incedentibus Angelis ponitur 2. Sam. 5,24. *Et eſto quum audieris ſonum inceſſûs in cacuminibus mororum, ut tunc moveas te*, &c. Hæc de tzáhad.

Péſach, vel Paſcha, altera vox.

3. Secundò Hebræi *paſſum* vocant פסח *péſach*; qui interpretibus Chaldæis, Syris, Græciſque dicitur פסחא, πάσχα: veteribus Latinis *phaſé*; a quo ipſa Latina vox *paſſûs* nonnullis videtur orta. Eſt autem paſſus propriè is, qui tranſiliendo fit, tanquam ſi *tranſitum*, ſive *tranſilitionem* dicas ex פסח *paſách*, *tranſire* ſeu *tranſilire per intervalla*, è loco in locum, vel à latere in latus, *ſubſilire & tranſcendere*, &c. Synecdochicè ſumitur pro *tranſitu* vel *paſſu* DOMINI, tranſeuntis domos Iſraëlitarum, dum percuteret primogenita Ægyptiorum: metonymicè eſt *tranſitûs* vel *paſſûs hujus ſignum memoriale*, *Agnus* nimirum; qui *paſchalis* vulgò dictus, & certâ cerimoniâ in Templo mactatus, perque ſingulas domos aſſatus ac manducatus, decimo quoque die menſis Niſan (qui partim *Martio* noſtro, partim *Aprili* reſpondet:) ſymbolum exſtitit, non tam rei præteritæ, tanti nimirum beneficii, quo erant Iſraëlitæ nocte illâ in Ægypto ſervati, quàm rei futuræ, Chriſti ſcilicet, agni εὔφρονος, ὅς πότ' ἀνοχμάσειεν ὅλου κακὰ λοίγια κόσμου, qui in cruce mactandus, & igne judicii Dei aſſandus, panibus item azymis ſinceritatis & veritatis manducandus, tollere debebat funeſta piacula Mundi, quo utique ſenſu פסח *péſach* uſurpatum reperias Exod. 12, 11, 21, 48. & 34,25. Item Num. 9,2,6,10,13.14. Item Deut. 16,1,6. Item 2. Par. 30,17,18. & 35,1,7.8. & alibi. Quin *feſtum ipſum*, ſeu tota ſolennitas, quâ Agnus hic ſummè myſticus inter duas veſperas mactabatur, aſſabatur, manducabatur,

cabatur, alterâ metonymiâ, voce Péſach inſignitur Num. 33,2. 2. Par. 30,2. & alibi. Hæc de Péſach.

4. Tertiò *paſſum* Hebræi vocant פשע *péſchah*, & Rabbini cum ס, פסיעה *peſihâh*, vel פסיא *paſijâ*. quæ & ipſa vox Latinorum paſſui originem videtur dediſſe. Hæc ab *incedendo* vel *ambulando* dicta, non tam, ut duæ præcedentes voces, paſſum notat γενικῶς, quàm paſſum certis pedibus, ſive *minor* ſit, habens ſcilicet duos pedes & ſemis, qui propriè dicitur *greſſus*, quantum nimirum ſpatii eſt in progrediendo inter digitos prioris pedis & calcaneum poſterioris: ſive *major*; qui *Geographicus* & *Geometricus* ſuprà dictus, pedes complectitur quinos, hoc eſt, paſſum minorem geminatum. De hoc paſſu intelligatur locus 1. Sam. 20,3. *Vt vivit anima tua quaſi paſſus inter me eſt, & mortem.* Hîc ſignificatur aut paſſus propriè, aut παροιμιωδῶς ſpatium perexiguum, quale eſt paſſus, quaſi dicas *Perparum*, ut R. Kimchi explicat. Exponit autem David Jonathani, Saulis filio, periculum vitæ præſentiſſimum, in quo verſetur, ſi pater mutuam ipſorum familiaritatem ac neceſſitudinem reſciſcat, tanquam ſi dicat, *In præſentiſſimo capitis periculo vel vitæ diſcrimine verſor*, Hæc de Péſchah. *Péſchah, tertia vox.*

5. Aliâ formâ, ſed eâdem origine, *paſſum* vel *greſſum* vocant מפשעה *miphſchahâh*. à quo ſenſu *nates* verecundè dictæ, quaſi illa ſub eis pars, quâ paſſus vel greſſus incipit: eodem tropo, quo per *pedes*, quibus greſſus vel inceſſus fit, partes pudendas deſignant Hebræi priſci, à trito in Scripturis, *Pedes tegere*, pro, Exonerare alvum, &c. niſi malimus à ſitu vel geſtu ſumtum, quo alvum exonerantes, dum in terrâ procumbũt, pedes tegunt veſtibus, quæ longiores erant apud homines ejus ævi. Quale eſt, *Aqua pedum* 2. Reg. 18,27. pro, *Lotium*, *Vrina*, &c. vel etiam *Aqua* ſimpliciter, juxta το': *Qui ejicit aquam, indiget ſanctificatione manuum & pedum*, apud Thalmudicos. quod imitatus *Miphſchahâh, quarta vox.*

Ovidius dixit: *Sumendæ detur quum tibi tempus aquæ.* Esaias cap. 7. vers. 20. ad hunc tropum videns dixit *Caput abradere & pilum pedum,* pro, *Cæsariem & pubem,* à Veterum more; qui utrunque abradebant: barbam non item; nisi in luctu sontico, ut quæ maximo apud ipsos erat in pretio, Mich. 3,7. metaphoricè, *Omnia expilare & exhaurire, à summo ad imum,* ut caput summa, pubes inferior pars est. quod Propheta ad Assyriæ regem conformat, qui tanquam novacula mercenaria caput & pilum pedum abradet, etiamque barbam ipsam, hoc est, nihil intactum relinquet, sed omnia perdet, cùm res, tum personas, summas & infimas, &c.

Pâham, quinta vox.

6. Denique huc accenseatur vox פעם *pâham,* quæ ab *impellendo* seu *commovendo* dicta, & *pedem* propriè, significat, & *gressum* vel *passum* metonymicè; qui scilicet ex passis sive diductis pedibus fit. unde Latinis *passus* est dictus: Græcis διάςημα, ut reddunt LXX. quo sensu sæpè usurpatur: inprimis verò Psal. 17,5. ubi metaphoricè etiam ad actiones & studia hominis transfertur.

Hæc de Passu.

CAPVT X.

De אסטדותא *Astadutá,* sive *Stadio.*

Stadium dictum unde.

QVOD Græci ςάδιον appellant ἀπὸ τ͂ ςάσεως, & Latini græcissantes *stadium,* à *stando*; quia videlicet Hercules, tanto spatio confecto sub uno spiritu, perhibetur constitisse & respirâsse (cujus mẽsura octies computata milliare efficit Italicum, sive passus centum viginti quinq;, Plinio auctore, vel pedes sexcẽtos, viginti quinq;, teste Columellâ:) id Syri corruptè אסטדותא *Astadutá,* sive אסטדיון *Astadion* vocãt Luc. 24, 13. & alibi, Hebraicè v. stadiũ significari vult

vult Capellus per צער *tzáhad* ab *incedendo*, ut à *stando* dictũ putant Græci & Latini: quòd etsi vox hæc *passum* significet aut *incessum* propriè, tamen etiam sumi possit pro certo definitoque curriculo, puta sexaginta, vel centum & viginti passuum. Alii intelligunt per כברה *kibráh*, quasi ככרה *kikráh*, hoc est, *planum* sive *campum terræ*, ein stuck wegs / oder felds / vne piece de terre, indefinitè. Verũ quia voce כברה *kibráh*, si propriè loqui velis, milliare à plerisque interpretibus notatur: ideò ad milliare referantur loca, in quibus per Veteris Testamenti libros occurrit. Etenim ut Ægyptii schœnis metiebantur, singulis habentibus stadia XL. sive passus quinquies mille, communi opinione, & Persæ parasangis; quæ singulæ, ut Budæus comprobat Herodoti testimonio, stadia Attica continebant XXX, vel passuum Persicorum Hebraïcorúmve tria millia: ita Græci stadiis propriè, non Hebræi, vel Chaldæi, aut Syri, ignotam locorum distantiam solebant metiri. At in Novi Federis libris, ubi ex arctis Hebræorum finibus egressi Apostoli,

Aegyptiis schoenis metiri solitis: Persæ parasangis. Græci stadiis.

——— ἀνὰ χθόνα πᾶσαν ἰάλλον
Σπέρμα λόγων ζαθέων, μεγάλȣ τ' εἰς ἕρκεα Χριςȣ̃
Ἔθνεα πάντα θέριζον, ἀμύμονι πίςιος ἅρπῃ,
——— *divini semina verbi*
Per cunctas sparsère plagas, inq; horrea Christi
Omnigenas populos fidei mox falce metebant:

Evangelistæ lingvâ inter homines tunc vulgatissimâ, & longè latéque per universum terrarum orbem propagatâ, qualis id temporis erat Græca, Græcorum *stadii* vocẽ non semel usurpant. *Parasangæ* tamen vocem Hebræis non inusurpatam fuisse, illud veteris Poetæ distichon arguit, quod in fine pharasáth sekalím habetur:

Iter diei decem parsas continet,
Et qualibet parsa quatuor milliaria.

Vbi animadverte quatuor milliaria stadia efficere tri-

Parasangæ vox explicata.

ginta: quod spatium est mensuræ memoratæ Persicæ, quã παρασάγγαν, vel παρασάγγην vocat Herodotus lib. 2. ὁ παρασάγγης δύναται τριήκοντα στάδια, inquit, quam mensurã amplexus Xenophon parasangas duas sexaginta definit stadiis. A vero autem non abhorret, vocabulum παρασάγγας vel παρασάγγης ex illo priori, nẽpe פרסא *parsá*, vel *parasá* productum esse. quo γενικῶς spatium sive curriculum vel intervallũ certo cursu equi hominísve, ut innuit proverbiũ πολλοῖς παρασάγγαις ὑπερδραμεῖν, *Multis parasangis præcurrere*, de eo, qui longo intervallo præcedit, aut multis partib. superior est: speciatim verò triginta stadiis definitũ indicatur, à פרש *parás*, voce *equitem* notante, ex Chaldaïcâ verbi פרש *perás* significatione *pungendi* vel *incitandi*, quòd eques calcaribus pungat vel incitet equum: à quo equidem sensu stadium Germanis dicitur equi curriculũ, ein Roßlauff. At eruditissimus & sanctæ memoriæ vir Junius vocẽ *parasangã* vult corruptam esse in nostris libris, scribendumq; *parasangara*: quæ ita appellata sit, quòd tantum spatii contineret, quantum *parás*, hoc est, *eques angarus* uno die conficere potuerit. cujus opinio vera videri possit, si aut vox quoq; Persica sit *parás* pro *equite*: aut compositio talis fieri quandoq; soleat; in qua duarum vocũ altera Hebraïca sit, altera verò Persica. Atque plures, quàm tres ejusmodi parsas, Lege vetabantur Judei, pridie Sabbathi eundo conficere, ne videlicet, si tardiùs domum redirent, non possent non cibos, condimenta & alia parare, quæ necessaria ad Sabbathi festum, ipso Sabbatho fieri per Legem non poterant.

Stadia sexaginta, Luc. 24, 13.

2. Porrò, ad stadia ut redeam, distantia vici Emaus, in quo Christus binis discipulis suis, à resurrectione, in panis fractione, innotuit, ab Hierosolymâ stadiis LX describitur; quæ faciunt milliaria Italica septem & semis, contra Josephum; qui lib. 7. de Bello Jud. c. 27. distantiam illam nõnisi XXX stadiis definit. Verùm & Syrus interpres, & omnes codices probatiores ponunt LX.

3. Sta-

3. Stadiorum item fit mentio Johan. 6,19. ubi discipuli Servatoris progressi quasi stadia xxv, aut xxx, dicũtur vidisse Dominum ambulantem super mare. quæ faciunt milliaria Italica tria, & octantẽ milliaris, sive tres quadrantes. Ubi μεταδρομάδην notandum, per *mare* intelligi κατ' ἐξοχὴν mare Galilææ, sive lacum Tiberiadis & Genesareth; qui, Josepho auctore lib. 3. de Bello Jud. longus est stadia centum, hoc est, duodecim milliaria, & semis.

Stadia viginti quinque aut triginta, Ioh. 6,19.

4. Et cap. 12. vers. 18. ejusdem Evangelii, *Bethania* dicitur fuisse prope Hierosolymam ferè stadiis xv. quæ faciunt milliaria duo, minus octante. Quod nobile quondam Mariæ & Marthæ, Lazari sororum, fuit castellum, ædibus frequens, ultra montem Oliveti situm; in quo Servator sæpe hospitatus fuit: ubi Mariæ ad pedes suos sedenti prædicavit verbum Dei: ubi Lazarum quatriduo sepultũ, jamq; fœtentem flens in vitam revocavit: ubi in domo Simonis (qui quòd antea fuisset leprosus, & à lepra per Dominum mundatus, *Simon leprosus*, ut testatur Hieronymus, vocabatur:) mensæ unâ cum Lazaro accumbens, & Marthâ ministrante, à Maria pretioso perfusus est unguento: ubi ascensurus in cœlum valedixit discipulis: ubi posteris temporib. marmoreum Lazari monumentum, in quo fuit suscitatus, ob hoc tam celebre miraculũ, ab Helena Imperatrice, tẽplo affabrè facto circundatum fertur: quod hodieq; non à Christianis solùm, sed & à Saracenis Turcisq; ingenti devotione honorari ajũt. Cæterùm παρέργως nota, quòd, quũ ovium omnia ibi plena essent, castellum sive vicus iste בית־עניא *Beth anjá*, hoc est, *domus* vel *ager ovium* elegãter fuit dictus, perinde ut *Argos*, clarissima Peloponnesi vrbs quondam fuit nominata quasi ἀγρός, quòd *agrum* pascẽdis equis, & cæteris pecudibus idoneum haberet. Est enim ען *hán*, vel ענא *haná*, Syris idem, quod Hebræis צאן *tzón*, hoc est, *ovis*: vulgus tamen *domum afflictionis* interpretatur, ab

Stadia quindecim, Ioh. 12,18.

Bethania unde.

עניה *hanjáh*, quæ Hebræis est *afflictio*, ut in hoc proverbio Talmudico: עניה בתר עניה *Mala malis ſuccedunt*, quod Hebræi exprimunt, תהום אל תהום קרא *Abyſſus abyſſum vocat*: & Græci,

Κακῶν τὸ πλῆθος, πόταμος ὡς ἐπέρχεται,
Ἄτης δ' ἄβυσσον πέλαγος, οὐ μάλ' εὔπορον:
Agmen malorum huc irruit, instar fluminis,
Damni pelagus profundum, haud navigabile:

& superiori seculo Mantuanus,

Fluctus ut insequitur fluctum: sic tempora volvit
Nostra catenatis sors inimica malis:

& Buchananus,

Ut trudit undas unda: fluctus fluctui
Cedit sequenti: pellitur dies die:
Semper premuntur præterita novis malis:
Dolor dolori: luctus est luctus comes, &c.

Stadia mille & sexcenta, Apoc. 14, 20.

5. Denique stadiorum fit mentio Apoc. 14, 20. ubi sangvis Impiorum, in pugnâ interfectorum, dicitur exivisse è lacu usque ad frænos equorum per stadia M DC. quæ faciunt milliaria ducenta Italica. quibus horribilis Impiorum strages figuratur hyperbolicè. Et cap. 21. dicitur Angelus mensus civitatem per stadia XII. quæ faciunt sesquimilliare, dolichum videlicet: *dolichus* siquidem spatium duodenûm stadiorum præcisè complet, sive, ut Suidas tradit, vicenûm quatuor. de quo Pollux scribit, fuisse in sacris & gymnicis certaminibus, in quîs certabatur πυγμῇ, δρόμῳ, διάλματι, δίσκῳ καὶ πάλῃ, *cæstu, cursu, saltu, disco & luctâ*, curriculum omnium maximum, quasi δολιχὸν, hoc est, *longissimum & prolixissimum*, in quo qui decertabant δολιχεύοντες dicebantur & δολιχοδρόμοι. Hæc de stadio.

CAPVT XI.

De מיל *Mil* vel *Mila*, hoc est, *Milliari*.

MILLIARE, sive *Milliarium*, Græcis μίλιον vel μιλιάριον, & ab hoc מיל *mil*, vel מילא *mila*, Hebræis, Chaldæis atque Syris, spatium erat mille passuum populi cujusvis. Hebraïcum igitur milliare mille Hebraïcos, Chaldaïcum mille Chaldaïcos, & Syriacum mille Syriacos continebat passus: sed passus majores vulgò dictos. Minores enim, quos κυρίως appellant gressus, bis mille continebat. Unde doctrinæ gratiâ, καὶ διακριτικῶς milliare aliud *majus* possit constitui, quod mille passibus majoribus, ut dictum: aliud verò *minus*; quod bis mille minoribus, hoc est, gressibus, unoquoq; binos pedes & semis complectente, constabat. *Milliare.* *Majus aliud, minus.*

2. Tale spatium quoniam Veteres signabant lapidibus & cippis, Hebræi אבן *ében*, hoc est, *lapidem*, & מצוה *matzéveth*, hoc est, *statuam*, vel conjunctim מצות אבן *matzéveth ében statuam lapideam*: Latini verò *cippum* & *lapidem* (unde *ad tertium, ad quartum lapidem*, &c. frequens:) pro milliari videntur accepisse: nisi fortè malis de statuis Mercurialibus intelligere, quas ad commonstrandam viam facientibus iter olim erexerunt κατὰ χώρας, & *Mercuriales* indigetârunt à Mercurio; qui profectionum, peregrinationum, viarum & itinerum fuit præses, quasique Deus, ideò Ἑρμεὺς vel Ἑρμῆς, hoc est, *Hermes* dictus, non tam ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, ab *interpretando*, hoc est, commonstrando, quàm ab Hebraïcâ voce רמס *ramás, calcavit, iter fecit*, &c. tanquam si dicas præsidem vel Deum *Eanum* ab eundo: ut *Adeona* & *Abeona* Deæ ab adeundi & abeundi facultate, quam præstare credebantur, fuerunt dictæ. Utut sit, Jacobus Patriarcha vel lapides, vel cippos, vel ἑρμαίους ejusmodi, quos σωροὺς λίθων appellat Hesychius, disposuit Gen. 28, 18. & 35, 14. ad conservandam memoriam tanti somnii, in *Lapis vel Cippus.*

quo ſcalam in terrâ conſtitutã vidit, cujus ſummitas pertingebat ad cœlum, &c. Cipporum verò & lapidum, quos ςύλας Græci vocant, præter Tullium, Val. Probum, & alios, clarè meminit Horatius 1. ſerm. 8. Satyr. per hæc verba:

Hîc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum,
Pantolabo ſcurræ, Nomentanoq; nepoti,
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, hæredes monumentum ne ſequerentur.

Cujus Veterum conſuetudinis monumentum adhuc hodie extat in Venetâ ditione.

Milliare hebraicé baráh.

3. Quòd ſi ἄσημον, hoc eſt, cippis & lapidibus, ſive ἑρμαίοις, haud ſignatum eſſet tale ſpatium, Hebræi id vocârunt כרב *keráb*, vel ברה *baráh*, vel, ut aliis placet, כברה *kibráh*. Et ſic quidem vocari debere arbitrantur R. Solomon, R. Sahadias, & alii ejus gregis: inter quos R. Solomon in cõmentariis ſcribit, Nomen eſſe menſuræ, vel ſpatii viæ, ſive itineris, veluti milliaris, aut jugeri campi, vel agri culti. *Ut enim in agris*, inquit, *ſic & in itinere, poſitæ ſunt certæ menſuræ*. quanquam R. David caph putet eſſe ſervile, & thema ברה *baráh*; quod longiùs extendit, quàm כברה *kibráh*. Scribit enim, eſſe menſuram perambulantis terram (puta *iter terræ*, ut explicat Mercerus: quantum ſcilicet homo conficit à matutino tempore, uſque ad paſtum ſeu tempus cibi, utpote prandii, vel cœnæ, qua ratione deductum putat à ברה *baráh*, quod *comedere* inter alia eſt, vel *paſtu ſe reficere*, &c. Verùm convenientior vox eſt כברה *kibráh*. quam interpretes plerique reddunt *Milliare*, vel indefinitè aliud exiguum terræ ſpatium, ſic dictum ἀντιφραστικῶς à כביר *kabbir*, *multum* vel *grande*. quo ſanè ſenſu exponendum eſſe evincitur ex 2. Reg 5, 19. & ex Gen. 35, 16. itemq; ex cap. 48. v. 7.

Milliare unum vel duo, Matth. 5, 41.

4. Milliaris porrò fit mentio Matth. 5, 41. in his verbis: *Et quiſquis te angariabit ad milliare unum, abi cum eo duo, &c.*

&c. Ubi per *unum* milliare mille, per *duo* bis mille passus majores intelligas: estque verborum Christi sensus, Christianos à vindictæ libidine tam procul abhorrere debere, ut potiùs duplices plagas sive incommoda ferre malint, quàm malum malo rependere: immò benefaciendum iis, qui malè nobis faciunt, hoc est, injuriam inferunt & incommoda.

5. Cæterùm observa hîc ἐν παρόδῳ, quod in Græco est ἀγγαρεύειν, id non absimili voce Latinos, & in his Ulpianum Iurisconsultum *angariare* dixisse, quod est *cogere*, vel *vi adigere ad currendum vel faciendum aliquid*: idem quod נגש *nagás* Hebræorum, & ἄγχειν Græcorum, indéque natum *angere* Latinorum: à quibus verisimile *angariare* translatis elementis fluxisse. In hunc modum Matth. 27. vers. 32. Judæi dicuntur *angariavisse Cyrenæum*, qui Christo crucem bajularet: tralatione sumtâ ab *angaris*, sive, ut Ruffinus Presbyter scribit, *aggaris*, qui tabellarii sive cursores erant regii apud Persas; quibus ævo illo, sicut hodieque apud Turcas, licebat obvii cujusvis jumenta, currus, naves, vel ipsosmet homines, ut currerent ac onera ferrent, ad celeriùs conficiendum iter rapere. quæ jumenta *angaria* ideò reddidit adjectivè Tremellius Esth. 8, 10. *Postas* hodie vocant corruptè, quasi *postos*, seu *positos*, hoc est, dispositos sive collocatos certis locis, & semper in procinctu excubantes equos vel homines. quanquam equi nunc ferè mutentur, & pauci homines certis ejusmodi spatiis disponantur; quorum primus tradat mandata, quæ accepit, secundo: secundus tertio, & ita deinceps. Synecdochicè *angari* vel *aggari* postea dicti servorum aut jumentorum onera quovis modo bajulantes: Hebræis Esr. 2. & Neh. 3. ꝓprio & peculiari nomine dicti נתינים *Nethiním*, h. e. *Nethinæi*, qui publicis angariis obeundis, saltē in domo Dei,

Angariare, vox Persica, explicata.

Angari, cursores regii apud Persas.

pro toto cœtu erant quaſi dediti ſive dedititii à נתן *dedit.* Sic diverſoria eorum, in quæ peracto diei penſo divertebant, *ἄγγαρα*, *angara*, ſubſtantivè: & qui ſervitutem hãc imponebant, & ſpecjatim tributi plus æquo exigebant, ut Publicani, עשה אנגריא *haſſáh angariá*, *angariam facere*, apud Talmudicos dicebantur. quod Græci aliter *ἀγγαρειάζειν* dixerunt, licet impropriè. Hæc enim ſive verba ſive nomina ex iis peregrinis verbis vel nominibus ſunt, quæ Antiquitas in Judæa, & alibi, à Perſis quondam mutuata eſt, Suidâ teſte; cujus generis Perſica, in Eſtheræ præſertim Volumine, in publicum exſtant plurima, ut *Pharſandatha*, *Aridatha*, *Admatha*, *Marſena*, *Aſphata*, *Pharmaſta*, & alia; quæ terminatione Chaldaïca, origine Perſica ſunt; quale eſt ipſum Eſtheræ nomen Perſicum הדסה *Hadaſſa* Eſth. 2,6. eò quòd ſimile in Perſis habetur nomen *Atoſſa*, Eſtheræ haud dubiè impoſitum ex inſtituto & conſuetudine Perſarum; quibus olim mutare nomina ſolens, præſertim ad imperium accedentibus: niſi malis Chaldaïcum eſſe ab הסדה *haſadáh*. Nam הדס *hadás* Chaldæis *myrtum* ſignificat, tanquam ſi dicas *μυῤῥίνην*, *myrrhinam*, ob formæ elegantiam:

Angariã facere idem quod, exigere.

Perſica vocabula crebra in S. L.

Eſtheræ nomen Perſicum.

——— ἐπεὶ περιφέρεσκε γυναικῶν
Πασέων εὐφροσύνῃ, λαμπρῆς τ' ἀμαρύγμασι μορφῆς,
——— *cunctas quoniam ſuper una puellas*
Eminuit formâ, cordatæ & acumine mentis. ut loquitur noſtri ſeculi Poeta. Hæc de Milliari.

CAPVT XII.

De Itinere Sabbathi.

Sabbathi iter.

MILLIARI, cujus mentio jam facta, accenſeri poteſt *Sabbathi iter*: de quo Lucas meminit Actor. 1,12. *Tunc reverſi ſunt Hieroſolymã, à mõte, qui vocatur Oliveti, qui eſt prope Hiero-*

solymam, distans itinere Sabbathi. Est enim tantum spatii, quantum milliaris est, hoc est, milliaris majoris Hebræorum, quod *ἰσόμετρον* est milliari veteri Romano, continens passus Hebraïcos mille majores, qui faciunt bis mille minores, quos *gressus* propriè appellant, impropriè verè *cubitos*, &c. Atque tantum spatii, non plus, licebat Judæis eo die per traditionem conficere, ut summo consensu docent Hebræi, tractatu 1. ערוכין *harucin*, cap. 4. & magnus ille Maïmon eodem tractatu ac cap. item Auctor libri, qui inscribitur כל בו *Cól bo*, cap. 34, &c.

2. Hinc Chaldæus intetpres libelli Ruth, qui post Talmudi compilationem vixit, in capitis 1. versum 16. sic scribit: *Præceptum accepimus de servandis Sabbatis, & diebus festis, ne longiùs iter faciamus, quàm duum millium cubitorum*, &c. & R. Solomon ad verba Legis, *Ne exeat vir de loco suo, Significat*, inquit, *spatium bis mille cubitorum*; &c. Idem ad locum Jos. 3, 4. *circiter bis mille cubitos*, addit, *ut ad eam accedant in Sabbatho.* Et Elias Levita in voce תחום *tachám, Terminus Sabbathi est*, inquit, *iter bis mille cubitorum.* Id enim vox אלפים *alpháim*, utpote dualiter usurpata, expresè postulat. *Iter sabbathi esse bis mille cubitorum probatur ex Rabbinis.*

3. Non aliter Sabbathi iter interpretatur Origines in V. *στρωμάτων*: ut ex his ejus in codice Veronensi verbis colligitur: Μίλιον ἓν ἡ τοῦ σαββάτου ὁδὸς, δισχιλίων πηχῶν ὑπῆρχε, καὶ μᾶλλον ἡ ἁγία σκηνὴ, καὶ κιβωτὸς τοσοῦτον διάστημα προελάμβανε τὴν παρεμβολὴν, καὶ ἀπὸ τοσούτου διαστήματος ἐσκήνουν· ὃ διάστημα ἐξῆν τοῖς προσκυνοῦσι τὴν ἁγίαν σκηνὴν βαδίζειν ἐν σαββάτῳ· *Milliare unum iter Sabbathi duûm millium cubitorum erat; idq; potissimùm, quòd sanctum Tabernaculum, & Arca tanto interstitio castrorum ordinem præcedebant, & â tanto intervallo tentoria figebant, quo spatio licebat his, qui castra metati erant, ad sanctum Tabernaculum accedere.* Hæc ille; quæ Theophylactus laudat, & calculo suo comprobat: licet perperam ibi legatur *Ex Origine.* *Ex Theophylacto.*

τελῶν πηχῶν; quũ perſpicuè & ἀναμφισϐήτως legendũ ſit διχιλίις πηχῶν, ita flagitante ſenſu. Neq; aliter ſanè legit Oecumenius, apud quẽ ita ſcriptũ libris editis omnib. reperias.

Ex Oecumenio.

Ex Eraſmo.

4. Eraſmus ille παντοδαὴς his etiam adſtipulatur; qui locum citatum ex Actis ſic enarrat: *Sentit*, inquit, *Euangeliſta, iter Sabbathi eſſe ſpatium bis mille paſſuum: longius iter facere Judæis fas non erat Sabbathis. Hoc enim indicat Hieronymus, ſcribens ad Algaſiam quæſt.* 10. *nimirum Judæis religiosè obſervatum, ne Sabbathis ambularent ſupra bis mille paſſus*, minores ſcilicet, *ex inſtitutione Rab Aquibæ, Simeonis & Hillelis Rabbinorum; quos illi magiſtros noſtros vocare ſoliti ſunt*, &c.

Ex Hieronymo.

Nec obſtat, q codices Hieronymiani eo loci habent *pedes*, non *paſſus*. Nam peccatũ eſſe poteſt à librariis, ut ſcitè obſervat Druſius, adeò ut, ubi legitur *bis mille pedes*, ibi legendũ ſit *bis mille paſſus*: Siquidem veriſimile non eſt, Hieronymum à ſententia communi Hebræorum & Originis, qui, ut dictum, Sabbathi iter continere ſcribunt bis mille cubitos, hoc eſt, greſſus, ſive paſſus minores (inter hos enim & cubitos differentiam nullam ſciverũt:) receſſiſſe. Hinc & Num. 35, 4. ubi in Hebræo eſt אלף אמה *éleph ammáh, mille cubiti*, vetus Interpres (quem alii Hieronymum fuiſſe autumant) ponit *mille paſſus*: cui congruit planè, quòd in ſebbóle lécheth, tractat. 22. cap. de Sabbath. diſertè ſic ſcribitur: *Samuel iter faciebat per vallem, & neſciebat terminum Sabbathi: iter duûm millium paſſuum mediocrium eſt terminus Sabbathi*, &c.

Ex Syro interprete.

5. Denique his aſſentitur Syrus interpres, qui loco illo Actor. 1. pro σαϐϐάτȣ ἔχον ὁδὸν, ponit in declaratione ſuâ, ופריק מנה איך שבעה אסתדון, *Abeſt autem ab urbe circiter ſeptem ſtadia*: quæ unum circiter milliare, minus octante, efficiũt, hoc eſt, paſſus mille majores circiter, ſive bis mille minores, ſupputatione factâ ὡς ἔγγιςα, ſive numero rotundato *ſeptem* poſito pro decurtato $7\frac{1}{2}$, præſertim ſi juxta Sui-

ta Suidam milliari tribuas ſtadia duntaxat ſeptem & ſemis, & nominatim ſtadia Babylonica; quorum ſeptem cum dimidio præcisè efficiunt mille paſſus Hebraïcos.

6. Tanto igitur ſpatio illud ἀνατολίης πάσης κλέος, καὶ ἐν γαίῃ παράδεισος ἐπήρατος, *Hieroſolyma* diſtabat, à monte Oliveti, nempe milliari, pauxillo minus, hoc eſt, ſeptem circiter ſtadiis; quorum octo Romana vel Italica, aut ſeptem & ſemis Babylonica, faciunt milliare, ut dictum. Eſt enim ſtadium octava pars milliaris. Et quamvis huic ſententiæ contraîre videtur Joſephus, ſcribens de hoc monte, illum quinq; tantùm ſtadiis diſtare ab urbe: ut certè Græcus codex Frobenianus Orig. Jud. lib. 20. cap. 16. expreſsè ponit ϛάδια πέντε, quam lectionem etiam Ruffinus agnoſcit: tamen malim cum Chryſoſtomo, hunc Joſephi locum citante, legere ϛάδια ἑπτά. Sic enim ad locum Actorum ſæpiùs citatum ſcribit: Ἱϛορεῖ δὲ καὶ Ἰώσηπος ἐν τῷ εἰκοϛῷ λόγῳ τῆς ἀρχαιολογίας, ἀπέχειν ἀπὸ Ἱεροσολύμων (loquitur de monte Oliveti) ϛάδια ἑπτά. Quod velim Theologiæ ſtudioſi notẽt.

Hieroſolyma ab oliveti monte diſsita milliari.

7. Cæterùm neq; impedit, quod idem Lucas Aſcenſionis DOMINI hiſtoriam narrans cap. 24. verſ. 50. dicit diſcipulos ductos fuiſſe à DOMINO ἕως εἰς Βηθανίαν, in monte ſcilicet Oliveti ſitam, unde in cœlum aſcenderit: hæc autem à S. Johanne cap. 11. verſ. 18. dicitur ab Hieroſolyma abfuiſſe ſtadiis non tantùm ſeptem vel octo, ſed ferè quindecim, hoc eſt, duobus circiter milliaribus. Montis nanque Oliveti extrema ſive radices ab Hieroſolymâ aberant ſtadiis ferè ſeptem: at Bethania, in illo monte ſita, erat retrò, ita ut quindecim ferè ſtadiis ab Hieroſolymâ diſtaret. Quod verò Bethaniã Act. 1. & Luc. 24. totum aliquem hujus montis tractum fuiſſe, quidam arbitrantur, non autẽ certũ vicum; qui tractus à fronte vel principio ſuo vicinior urbi fuerit, h.e. ſtadiis ferè ſeptẽ ab Hieroſolymâ diſtiterit: illic aũt, nempe Joh. 11. ubi Lazarus dicitur fuiſſe Bethaniâ

Explicata diſtantia Hieroſolyma ab oliveti monte.

ortus, vicum intelligi, unde additum sit *ἐκ κώμης, ex vico*, ad distantiam aliorum vicorum in eodem Bethaniæ tractu, qui remotior ab urbe fuerit, hoc est, stadiis ferè quindecim, sicque loca commemorata conciliari: id quia longè longeque à rationis regione aberrare videtur, ideò relinquendum duco. Hæc de Itinere Sabbathi.

CAPUT XIII.

De מענה *Mahanéh, sive jugero.*

Iugerum. AD Milliare libet quoque *jugerum* referre. Hoc enim ex dimidia milliaris parte vulgo describitur. Unde Chaldæus Paraphrastes, R. David, & alii 1. Sam. 14, 14. ubi Saulis filius, Jonathan, ille *θρασυχάρμης*, & armiger ejus dicuntur quasi viginti viros percussisse, *fermè in dimidio jugero paris boum in agro*, dimidium jugerum exponunt spatium vel intervallũ quadrantis milliaris: quanta scilicet est pars dimidia jugeri, aut sulci ducti à pari boum per integrum jugerum terræ: ut sit sensus, *Brevissimo spatio interfecerunt viginti*, &c. Quo Jonathani insignis virtus bellica à Spiritu S. commendatur.

Mahanéh. 2. Hebraïcè, & metonymicè tale spatium duplici nomine insignitur. Primum est מענה *mahanéh*, vel מענית *mahanith*, quasi *Aratio*, hoc est, tantum spatii, quantum uno jugo boum in die exarari potest. Sic enim R. Kimchi explicat, & eum secutus Hieronymus, quanquam Kimchi *sulcum* etiam reddit, & *lineam* vel *lyram*, quæ aratur bobus. Hoc autem sive arationis, sive terræ spatii exarati nomen מענה *mahanéh* deducitur ex ענה *hanáh*, *opprimere, subigere*, &c. quasi *terræ oppressionem* vel *subactionem*, aut *subactum* dixeris: unde natum [illegible], *Arationes producere super alicujus dorsum* Psal. 129, 3. pro, Lacerare terris conviciis, & afficere summis injuriis, ut terra laceratur ac proscin-

ditur aratro, & Latini etiam *proſcindere convitiis* dixerunt: niſi malimus ex aliâ verbi, nempe *reſpondendi* ſignificatione jugerum appellare, quòd ſulcis ac ſtrigis pari ordine ſibi reſpondentibus conſtet: cujuſmodi jugerum pedes Hebræorum, quando ἑτερόμηκες eſt, habet latitudinis 96. *Tzémed.*
longitudinis 192. areæ 18432. juxta Capellum, quem videris. Alterum nomen eſt צמד *tzémed*, quod propriè *par* vel *jugum* ſignificat, à צמד *tzamád*, *conjugare*, *copulare*, &c. quaſi ſpatium terræ; quod ſtrenuum par vel jugum boum aut equorum die arare poteſt: ſtrenuum, inquam. Nam alioquin penſum diurnum aliud poteſt eſſe, quando boves aut equi ſegnes & pigri ſunt, terráve ſubactu difficilior. *Arhapedan.*

3. Chaldæi & Syri tantum terræ ſpatium appellant ארעאפדן, *arhapedán*, ſive *pedná*, hoc eſt, *terram jugi*, quam γῆν ζεύγους Græci vocant, quantum ſcilicet par boum vel equorũ die exarat: à qua Chaldaïcâ vel Syrâ voce nata antiqua Gallorum, ante Auguſti tempora uſurpata vox *Arepennis*, vel *Arepennum*, vel *Arependum*; quorum genera varia apud hodiernos etiam Gallos qui videre cupit, videat apud eundem Capellum.

Hæc de jugero.



DE ANTIQUIS MENSURIS HEBRÆORUM

Liber II.

Qui est de Mensuris Discretorum Aridorum.

CAPUT I.

De משורה *Messuráh, sive Mensuræ Discretorum voce generali.*

Messuráh dimensionis discretorum vox propria.



BSOLUTA priore parte hujus tractationis quæ ad Mensuras Continuorum pertinebat: nunc reliquum de Discretorum Mensuris, quod promisimus, absolvamus. Dimensio verò hæc quàm generalissimè שורה *schuráh*, vel משורה *messuráh* vocatur Hebræis: ut Continuorum dimensio propriâ & generalissimâ voce מדה *middáh* vel *mindáh* significabatur antè. Hæc ita dicitur à שור *súr* vel *sór*, quod propriè est *gerere* sive *tenere principatum*: metaphoricè *dimetiri*. Est enim dimensio quasi quædam rerum dividendarũ domina vel princeps, aut γενικώτερον *concinna rerum creatarum guber-*

gubernatio. unde במשורה *bimssuráh, In mensurâ,* & בסאסאה *besaseáh, In modio,* qui mensuræ species Esa. 27, 8. est non tantùm *parcè* & *frugaliter*, idem quod ἐν μέτρῳ, ut ἀμέτρως econtrariò est ἀφθόνως, *liberaliter, copiosè* & *profusè*: sed etiam usurpatur pro recto & elegāti ordine, modo ac dispositione vel οἰκονομίᾳ; qua cùm Mundus universus, veluti communis omnium creaturarum domus, templum, aut urbs, ut loquitur Tullius, à Deo conditus est & gubernatur, adeo ut omnes partes ejus quàm pulcherrimè & constantissimè inter se cohæreant ac nitantur, tum singulæ partes ritè ac decenter administrantur. unde משורת הדין *messuráth haddín, mensura judicii,* dicitur sententia judicis, qua justè & ritè decernit, jubet, præcipit. à quo sensu in laudibus Dei dictum inquit Augustinus, *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti:* & Latinis *modus*, unde *modius*, prima ac præcipua eorum mensura, non tam elegantem dispositionem, quàm mensuram significat. *In mensura vel modio, Prov.*

2. Cæterùm pro mensurâ Aridorum aut Liquidorum vocem משורה *messuráh* sic γενικῶς sumtam invenias Levit. 19, 35. in his verbis: *Ne perversitatem exercetote in dimensione, in pondere, aut in mensura,* ובמשורה, *ubimssuráh.* Hîc enim ut summus ille νομάρχης Deus per *dimensionem* intelligit mensuras, quibus spatia vel intervalla metimur, & per *pondus* trutinam vel libram, quâ centenaria appenduntur: sic per *mensuram* absolutè Aridorum aut Liquidorum mensuras vult intellectas: circa quas perversitas exercetur, quandò liquor in vas subjectum infunditur ex alto, unde in spumam vertitur, vasque plenum videtur, quum vix plena sit media ejus pars. *Lev. 19, 35.*

3. Eodem reperias sensu 1. Paral. 23, 29. ubi Levitæ dicuntur constituti ad rationem *mensuræ*, hoc est, quantitatis Aridorum & Liquidorū, quæ ad res sacras adhibebantur, veluti farinæ, olei, vini, & aliarum, ad oblationem mu- *1 Par. 23, 29.*

nerum requiri solitarum, quò videlicet hæc justam præceptamque continerent mensuram: quemadmodum per *dimensionem* eodem loco recta spatiorum Templi dimetio, in quæ personæ, sacrificia & alia recipiebantur, significabatur.

Ezech. 4, 11, 16 & 18.

4. Quòd porrò Ezechiel Propheta contumacibus Judæis minatur, eos in funestâ obsidione Hierosolymę aquas bibituros במשורה *bimssuráh, in mensura*: inde nõ tam idem vocis hujus de Liquidis sensus perspicuè patet, quàm dirâ siti, & horridâ fame, tabido rictu jacente, ut Seneca loquitur, miserè cruciatum iri: prout nunquam satis bibunt vel edunt, qui *esuritionum patrem* habent, ut Catullus Aureliũ, parcè & sordidè convivas accipientem, salsè appellat, hoc est, quibus certo modo mensuraque, ut loquitur Cęsar, bibendum vel edendum præbetur: cujusmodi dimensum parcũ & frugale priscis quõdam militibus & servis Romanis præscriptum fuit, qui binas tantùm libras, chœnicen nimirum bilibrem accipiebant singuli in diem, nisi utiliores & honestiores servi, veluti actores scenici essent. Tunc enim plusculum quisque accipiebat: & pecuniola præter morem accessit, nempe quinq; denarii in mensem, qui faciebãt totidem drachmas Græcas, sive quinquagenos circiter σαυροφόρους seu crucigeros Germanicos: monetâ verò nostrate Tigurinâ *libram*, 13 *asses*, 4 *obolos*, hoc est, in diem assem & obolum cum triente oboli: at monetâ Gallicâ 32 *asses Turonicos, & duodecimam assis partem*.

Dimensum olim apud Romanos valdè parcum.

Hæc de *Messuráh*, mensurę Discretorum voce generali.

Caput II.

De קב *kab*, vel *kabo*.

Sicut apud Gręcos & Romanos dimensio Discretorum in duo præcipué genera fuit distincta, videlicet in ξηρὰ καὶ ὑγρὰ, *Arida & Liquida*; quorum illa sinu suo complectũtur frumen-

frumenta, legumina, fructus, olera & ſimilia: hæc verò oleum, vinum, acetum, aquam, mel & alia: ita διὰ τ τρανότητι, in explicandis menſuris ſacris Hebræorum hæc etiam diſtinctio poteſt & debet obſervari.

2. Ad Aridorum igitur dimenſionem, quam uno & proprio nomine appellant שער *ſchábar*, quaſi *portam*, per quam menſuræ hujus generis ingrediuntur, hoc eſt, æſtimantur vel judicantur (ut hanc vocem explicant R. Aben-Ezra, R. Solomon, Chaldæus, Mercerus & alii:) adhibentur hæ ſpecies.

Schábar, dimenſionis aridorum vox propria.

:קב *kab*, vel *kabus*.
:עומר *Homer*, vel *Gómer*.
:סאה *Seáh*, vel *Satum*.
:איפה *Ephah*, vel *Ephí*.
:לתך *Léthech*, vel *Semicorus*.
:כור *Cór*, vel *Corus*.

Totidem igitur habentur in ſacrę ſcripturæ voluminibus μέτρα ξηρὰ, menſuræ aridorum: quas quidem conabimur paucis expedire, & Græcorũ etiam ac Romanorum menſuris applicare.

3. Prima ergo & minima Hæbreorum menſura; qua in rebus aridis vel ſiccis dimetiendis olim utebantur, fuit קב *Kab*, Latinis *Kabus*, Græcis verò κάβος: ejuſmodi σίτȣ μέτρον, ut vocat Pollux, hoc eſt, *Aridorum menſura*; quæ ſextam continebat partem Seæ vel Sati, cujus proinde *Sextarius* non ineptè appelletur, ut certè Joſephus Græcè ſcribens ξέστην, hoc eſt, *Sextarium*, diſertè vocat 2. Reg. 6.

Kab prima menſura diſcretorum aridorum ſpecies.

4. Rabbini hanc menſuram ovis definientes more ſuo, perhibẽt eam capere tantum rei aridæ vel ſiccæ, quantum continere poſſunt teſtæ ovorum gallinaceorũ viginti quatuor, nomenq́; putant hauſiſſe à קבה *kabáh*, vel *kyppáh* (unde *cuppa* vel *coupe* Germanorum & Gallorum, vas videlicet Liquidorum, ac *capiendi* vox Latinorum ſunt denominata:) quod propriè de loco ſive receptaculo dicitur in viſce-

Definita ovis 24.

ribus beſtiæ; in quo congregatur adeps exſugens & concreſcens: *κατεχρηστικῶς* de receptaculo cùm frumentario tum pecuniario, in quod ſcilicet eleemoſyna, aut aliæ res conjiciuntur, accipitur, ut dictum.

Reducta ad menſuras Græcorum: 5. Quòd ſi ad Græcorum menſurarum rationem Kabum exigas, æquabit *Chœnicam militarem* ſive *quinquilibrẽ*, quæ ἡμεροτροφὶς, ſive *diaria* quondam fuit ingenuorum militum, & ſextarios Atticos tritici continuit tres & duas tertias partes Sextarii. quod κτ̃ ϖλειοςείαν hoc modo probatur: Epha continebat Kabos 18. hoc eſt, Sata tria, ſive totidem Modios Hebraïcos, quorum ſinguli viginti duos capiebant ſextarios. Si nunc Sextarii 66 dividantur per Kabos 18, quos capiebat Epha, emergent Sextarii quæſiti, nempe terni, & duæ tertiæ partes Sextarii: ut quidem ex proportionum regulæ aureæ ſimplicis directæ methodo vulgò notâ quàm-liquidiſſimè apparere poteſt, in hunc modum:

Si 18 Kabi complent Sextarios 66. Ergo unus Kabus complebit Sextarios $3\frac{1}{2}$. &c.

Ad menſuras Romanorum: 6. At juxta Romanorum rationem Kabus æquabit *Sextarios quatuor*: qui Sextarii uncias Romanas ſexaginta in tritico pendére potuerunt, ſive quinque libras. unde *quinquilibris* Chœnix illa eſt dicta. Computus hic ex eadẽ methodo logiſticâ manifeſtus fit, ſi per Kabos 18 commemoratos, quorum capax erat Epha, dividantur Sextarii 72. Tunc enim emergent Sextarii 4. quater ſiquidem 18 ſunt 72.

Ad menſuras hodiernas: 7. Quòd ſi ad noſtratem rationem Kabum reducas, deprehendes cepiſſe *duos circiter dodrantes Quartarii*, **bey nahe 2. Immi.** *Dodrantem* voco abuſivè nonam Quartarii partem, in quot partes Quartarius vulgo dividitur: quas partes *Imminas* vocamus, vel ab *Hin* Hebræorum, vel ab

Inio

Inio Ægyptiorum; quorum utrunque mensuræ genus fuit notum. Quartarius porrò libras pendet 25 ὡς ἔγγιστα· quorum quatuor nostratem complent Modium, **einen mütt/** qui centum vulgò & sæpiùs, rariùs autem pluribus libris æstimatur, pro tritici vel frumenti qualitate. Rursus libram æstimo unciis duodenis; quæ quia Romanis maximè erat usitata, *Romana* dicitur, ad differentiam *mercalis*, sive *Zygostaticæ*, quâ negotiatores, pigmentarii, aromatarii, institores, & quicunque merces appensas venditant, utũtur, quæ sedecim est unciarum, & *regia* Gallis vocatur à *Zygostatis*, qui sunt libripendes per urbes constituti, hoc est, regiis ponderibus præfecti: à quibus *Zygostatica fides* plena & exanimata æquitas, quæ משורה הדין *messuráh haddín, mensura judicii* dicitur Hebræis, adagio denominatur, voce compositâ ex ζυγὸς, *stateram* vel *libram* declarante, juxta Pythagoræ symbolum, Μὴ ζυγὸν ὑπερβαίνειν, *Stateram ne transgreditor*, hoc est, Intra fines terminosque æquitatis maneto, & verbo ἵστημι *appendere, ponderare*, &c. ex primo eius *statuendi* vel *erigendi* significato, prout statui & erigi solent quæ appenduntur ac ponderantur.

8. Cæterùm Kabus ea ipsa mensura fuit, cujus illustris fit mentio 2. Reg. 6, 25. in his verbis: *Exstititq; fames magna Samariæ: & ecce obsidebant urbem tantisper, dum caput asini valebat octogenos argenteos* siclos, *& quarta pars Kabi stercoris columbini quinq; argenteos* siclos, &c. Animadverte hîc primò, Kabum fuisse mensuræ genus, certis constãs partibus, quaternis scilicet; quæ dictæ fuerunt רביעיות *rebihióth*, quasi *quadrantes*, sive *quartariæ*, Latinè. Harum deinde singulæ stercoris columbini, Elisæi tempore, obsessâ Samariâ, quinis vendebantur siclis argenteis cõmunibus didrachmis, qui faciunt monetâ Germanicâ *Thalerum Imperialem cum quadrante:* nostrate 3 *libras*, 6 *asses*, 8 *obolos*: Gallicâ verò *dimidium coronatum solarem*, 25 *asses Turonicos*, $7\frac{1}{2}$. *obolos*, co- *Kabi mentio facta 2. Reg. 6, 25.*

ronato reducto ad 65 asses; qui hodiernus ejus valor est, juxta edictum Heinrici IV. Galliæ & Navarræ regis, ab ipso promulgatum anno CIↃ. DCIII.

9. Quæ pecunia permagna sanè fuit pro re vili admodum & abjectâ, ut est columbinum stercus; idque in tam parvâ quantitate, quam vel sex ovorum testæ capere possent. Verùm quòd obsidio arcta & diuturna esset, unde ad tantam ventum fuit inopiam, ut lignorum vice, ad quæ cædenda, & in urbem vehenda exire non licuit, fovendi ignis ergò, stercore illo uterentur: ideò tam magnum ejus pretium fuisse, mirum non sit. Multò minùs incredibile videatur, si quantam Saguntini olim, socii & federati Romanorum, obsidione Pœnorum pressi, famem passi sint (quæ proverbio *Saguntina fames*, de horrendâ & extremâ fame, originem dedit:) & quid, Hannibale Casilinum obsidente, sit factum, ubi ducentis nummis murem venisse, Livius, Plinius, & Val. Maximus testantur: quid item nostro ævo Sancerrę, clariss. Galliæ oppido, acciderit memoriâ repetamus: in cujus obsidione, perinde ac in Samaritanâ illâ,

χήρη τὶς κομοῶσα θοῇ δαίτρευσε μαχαίρῃ
παῖδ' ἐπιμαστίδιον, τερενόχροα, μητρὸς ἄγαλμα,
πείνης γυικόρου τυτθὸν μείλιγμα πέλεσθαι.
κηλέῳ δ' ἐν πυρὶ μέλδε, καὶ ἐν λαγόνεσσιν ἔθηκεν.
αὖτις ἑὴν ὠδῖνα σὺν ἀφράστισιν ἀνίαις.
ἥμισυ μὲν δείπνησε, τὸ δ' ἥμισυ λεῖπε νέμεσθαι
ἁρπυιαῖς, βελμηδὸν ἀν' οἰκία μαιμωώσαις,
Insignis quædam natum vidua ense tenellum,
Delitiásque suas laniavit, pellat ut ægro
Ore famem, quæ jam totos depaverat artus,
Edomitumque igni materno in viscere fœtum
Denuò, at haud animi sine vulnere condidit acri:
Dimidium vorat ipsa, super quod manserat offert
Harpyiis, inhiant quæ tecta per omnia prædæ.

10. Re-

10. Redeo ad Kabum. Per hujus hebraïcam vocem Cl. Vir, Junius, loco commemorato non hoc nostrum mensuræ genus, sed *cavum ventris* interpretatur, קב *Kab* idem esse autumans, quod קבה *Kebáh*, quasi hic talis venter, seu quarta columbæ pars, tantidem constiterit. Verùm meum hîc judicium interponere nolo, sed expositionem hanc Lectori æstimandam relinquo: quanquā prior ut simplicior videtur, ita apud pleròsque interpretes, præsertim Hebræos, receptior est & usitatior. Tremellius certè, & cæteri cum eo plures, mensuræ genus interpretantur: nisi quòd parens R. Davidis sic explicavit: *Est quarta pars eius, quod est in ventriculo columbarum, nempe frumenti. Evolabant enim columbæ, & in agris comedebant frumentum: reversæ in vrbem capiebantur ac interficiebantur. Homines autem frumentum illud ex ingluvie earum colligebant ac vendebant, vt inde durante obsidione viverent.* quo modo קב *Kab* idem fuerit, quod קבה *Kebáh*, *ventriculus*, *ingluvies*, vt dictum. Hæc à Rabbino prolata minùs ludicra aut puerilia videri possint, si quàm idoneo & utili instrumento Deus usus sit columbis in arctissimâ & decantatissimâ inclytæ urbis Lugdunensis Batavorum, obsidione, anno τῆς χειλιογονίας CIↃ. DLXXIV. mensibus Septembri & Octobri; in qua columbæ obsessis civibus fidissimorum tabellariorum munus ad amicos Delfenses & alios vicinos, extra hostium castra, egregiè feliciterque obierunt, memoriâ recolamus: ad cujus quidem rei tam mirandæ & insolĕtis perpetuam memoriam exuvias columbarum earum Lugduni custodiri & asservari vidi. *Kab etiam pro ventre vsurpatus.*

11. Sed liceat quóque παρέργως adtexere, loco eodem memorato vocem חריונים *chirijoním*, quam reddunt interpretes *columbinum stercus*, scribi cum ח *chéth* & ר *résch*, sed legi cum ד *daléth*, & ב *béth*, sic דביונים *debijoním*, quod idem significat. Etenim quod scriptum est, designat metonymicè id, quod egreditur è foramine co- NOTA.

lumbarum (חור chór enim est *foramen* :) at quod legitur honestiore vocabulo notat *superfluitatem*, è columbis fluentem, ex verbo Chaldaïco דב *dáb* vel *dób*, quod *fluere* est, idem, quod זב *Záb*, vel *Záb*, à quo permutatione elementorum Chaldaïcū derivatur. Hoc studiosos Linguæ animadvertere velim. Nam id genus alia in textu sacro reperiant, quæ scribuntur לגנאי *legannái*, vt loquuntur Thalmudici prisci, * hoc est, *inverecundè & inhonestè*, at leguntur לשבח *leschébach*, hoc est, *verecundè & honestè*. qua ratione prisci illi nomarchæ honestati in legendo & pronuntiando verbo Dei consulere voluerunt, ut ne quid aures cuiusquam offendat. quem linguæ modum probabilem appellant נכתב ולא נקרא, *scriptum & non lectum*: & vicissim: נקרא ולא נכתב, *lectum & nō scriptum*. Ut quum Deut. 28, 27. pro עפלים *hepholím*, qui morbi vel ficus ani sunt, vocabulo magis pudico legunt טחרים *techorím*, id est, constipationes. & paullò pòst, vers. 30. pro, ישגלנה *jschgalénnah*, coïbit vel succubam reddet, vt vertit Pagninus, ישכבנה *jschcavénnah*, id est, dormiet. item quum 2. Reg. 18, 27. pro חראיהם *choráham* stercora eorum, legunt מוצאותם *motzeotham*, exitus eorum: & pro שיניהם *schenenáhem*, vrinam eorum, מימי רגליהם *mimé ragláim*, aquas pedum eorum. Cujus farinæ quædam alia tangit incomparabilis vir, Elias Levita in aureolo suo libello, quem inscripsit *Massóreth hammassóreth*, *Traditionem traditionis*, hoc est, traditionem vel doctrinam excellentissimam, cognoscendi scilicet infinita sacræ Scripturæ mysteria abstrusa: quem libellum, annos ante paucos Latinè redditum à Clariss. & amicissimo Buxtorffio nostro, studiosis linguarum percommendatum esse velim.

* in Cod. Talm. megilláh, c. 4.

12. Denique *Kabi* vt nomen, sic mensuram & capacitatem Καπίθη, mensura Babylonia vel Persica obtinuisse vide-

se videtur, de qua videris Capellum de Mensuris Cubicis, sectione trigesimâ.

Hæc de Kabo, primâ Hebræorum in aridis mensurâ.

Caput III.

De עומר *Hómer*, vel *Gómer*.

Altera mensura, qua in Aridis dimetiendis olim vtebantur Hebræi, fuit עומר, *Hómer* vel *Gómer* (vtróque enim modo scriptum invenias, Veterum more; qui litteram ע *háin* per *h* vel *g* ἀδιαφόρως efferebant:) Chaldaïcè & Syriacè עומרא *Humrá*; Rabbinicè verò כף *Kíph*. Hæc decima pars exstitit Ephæ. vnde עשרון *Hissarón* ἁπλῶς, & κατ᾽ ἐξοχὴν, hoc est, *Decima* vocatur Num. 15. Græcè verò Ἀσσαρών, nomine ab Hebræo deflexo, apud Iosephum & alios: & addito Ephæ nomine עשירית האפה *Hasírith haéphah*, δέκατον τοῦ οἰφί, *Decima Ephæ*, pars videlicet, Levit. 5, 11. & Num. 28. *1. Homer, altera aridorum species.*

2. Porrò decimam partem Ephæ fuisse, Homéren, quis meliùs nos docuerit, quã divinus θεμιστοπόλος Moses ipse, qui ἤθεα τοῖς ἔμφυλα καὶ ἱερὰ τάξεν Ἑβραίων, *& mores populi & ritus formabat Hebræi*? Is igitur Exod. 16, 37. descripto cibo, quo Iudæi mirandum in modum cœlitus pasti fuerunt, Arabum per deserta, quadragenariæ migrationis tempore, & cibi hujus ætherei dimenso diurno præfinito, quod fuit *Hómer*, tãdem capacitatem ejus subtexit cõceptã in hæc verba: : והעומר עשירית האיפה הוא *Est autem Hómer decima pars Ephæ*. quæ Chaldæus sic transfundit: סאין הוא ועומרא חד מן עסרה בתלת: *Humrá ejusmodi est mensura, quæ decimam trium Searum, hoc est, Ephæ, partem capit*. Ex quo consequitur, quum Epha definiatur octonis denis Kabis, sive capacitate testarum ovorũ gallinaceorum 432, *Homéren* capere Kabum & Semis, cum quintâ Kabi parte, sive quantum capiunt testæ ovorũ 43. & quinta ovi pars. *2. Decima pars ephæ, Exod 16, 37.*

3. Reducta ad Græcorum mensuras.

3. Quòd si ad Græcorum rationem mensurariā Homérem reducere libeat, apparebit hūc cepisse Sextarios Atticos sex, & tres quintas Sextarii: ut planum fit, si Sextarii Attici 66. quos capit Epha, dividantur per 10. Hómer etenim pars Ephæ decima fuit, vt dictum.

4. Ad Romanorum.

4. At ad Romanorum rationem si reducas, comperies cepisse Sextarios Romanos septem, & quintam partem Sextarii, adeò vt quinque hujusmodi Homéres sive Assarones, quos vocat Iosephus, Sextarios Romanos triginta sex ceperint; quorum singuli libras Romanas tritici novem pendebant: ut elucet, si vel 72 Sextarii Romani, quorum capax erat Epha, vel 90 libræ Romanæ, quas eadem mensura in tritico pendebat, dividantur itidem per 10. prout Hómer Ephæ pars fuit decima, sicut dictum. Computum hunc disertis verbis confirmat ille ἀτρεκείας κήρυξ μεγαλόστομος Epiphanius, quum scribit τὸ δὲ γόμορ δέκατον ἦν τοῦ μεγάλου μέτρου, τούτεστι τῆς ἀρτάβης (Capellus legendum censet τοῦ βάθου, aut τοῦ βάθου, quod ἰσόμετρον est Ephæ:) ὃ γίνεται ἑπτὰ ξεστῶν καὶ πέμπτου: *Gomor autem* (intelligit Homéren) *decima pars est mensuræ magnæ, hoc est, artabæ, quæ continet septem Sextarios, & quintam Sextarii partem*, &c.

5. Ad hodiernas.

5. Ad nostratem porrò rationem si reducas Homéron, capere potuit dimidium quadrantem sive quartariū modii Tigurini, minus quatuor libris; ein halb viertheil / weniger 4 pfund; quæ quatuor libræ faciunt aliquid amplius dodrante quadrantis sive quartarii, etwas mehr als ein Immi / videlicet dodrantem & undecim vicenas quintas partes dodrantis, sic $1\frac{11}{25}$.

Hómer choenix olim Iudæorum.

6. Hinc autem apparet, quum Hómer Israëlitico olim populo in deserto degenti, fuerit quasi Choenix, hoc est, dimensum diei, quàm liberaliter & largiter ille δωτὴρ ἑάων καὶ κέρας ἀμαλθείας Deus, eum, tum longo tempore, per XL. videlicet annos integros, aluerit & sustentaverit, adeò

adeò ut illis diætam, sive cibum diurnum non triplicare, sed quadruplicare, immò ferè quintuplicare voluerit: quum constet, Choenicam non nisi unam ἡμεροτροφίδα, ut loquitur Alexander, vel ἡμερήσιον τροφὴν, ut Suidas, hoc est, diarium olim fuisse in agro degentiũ, opilionum & similium apud Romanos cibum; quæ Choenix sive Choenica quadruplo, atque adeò quintuplo ferè minor fuit Homére: Hómer siquidem novem, Choenix verò non nisi duas (unde *bilibris* vulgò dicta) capiebat libras Romanas. Modius enim Romanus rasus, pendens libras viginti, præcisè huiusmodi Choenicas capiebat decem, quæ *Chœnix minima & opilionum* ad differentiam aliarum fuit nuncupata. Plures enim memorantur ab idoneis auctoribus Choenicæ, necessariò discriminandæ. Etenim & *Attica* fuit, *villicorum* aut *trilibris* communiter appellata, & μέτρον seu *mensura* κατ' ἐξοχὴν; quæ pendebat Romanas tritici uncias 33. cum triente: Sextarios verò Romanos duos, & nonam ejus partem præcisè, vel Atticos $2\frac{4}{25}$. cum auctario nimirũ τῆς πεντεκαιδεκάτης. à qua Choenicâ verisimile est Corinthios χοινικομέτρας appellatos ab Apolline Pythio, quòd servos multos isthoc dimenso nutriri solitos possiderent. qua de ipsâ Homerus:

Choenices apud Græcos et Rom. plures.

1. Minima, opilionum & bilibris.

2. Attica, villicorum et trilibris.

Οὐ γὰρ ἀεργὸν, inquit, ἀνέξομαι, ὅς κεν ἐμῆς γε
Χοίνικος ἅπτηται: *Namque operæ immunem haud patiar, quicumq; meam unquam Chœnicam attigerit*. ubi Eustathius τροφὴν reddit. Vox enim χοίνιξ cum ipsum *vas* declarat, tum *rem*, quam metimur, veluti frumentũ & alia, in hominis victum cedentia. unde illud Græcorum protritum, χοίνικι μὴ ἐπικαθῆσθαι, *Choenici ne insideas*, hoc est, *De victu ne sis sollicitus in diem crastinum*, ut explicat Hieronymus: sive, *Otio ne indulgeas, sed de victu prospicias industriâ, ne desit in posterum*, vt Plutarchus: sive, *In diem ne vivas, fruges duntaxat consumere paratus, sed crastinum exspectes*, vt Demetrius Byzantius apud Athenæum: sive, *Per otium alienam ne se-*

Choenici ne insideas, Prov.

Eteris mensam, sed victum compares labore proprio, ut Erasmus, &c. Quæ porrò Choenix uncias Romanas tritici pendebat quadraginta quinque; *Italica* Choenix, sive *Vinitorum* fuit cognominata, & cum additâ πεντεκαιδεκάτῃ, ob quam pendebat uncias tritici duodequinquaginta, hoc est, libras quatuor, dicta fuit *quadrilibris*. Quæ verò tritici Romanas uncias quinquaginta pendebat, Choenix *georgica* fuit dicta; quia georgicę Atticis maiores erant ratione sesquialterâ. Quæ denique pendebat Romanas uncias octoginta, *militaris* fuit appellata, & dimensum exstitit diurnum ingenuis olim militibus, cujus Thucydides meminit lib. 4. quæ Hebræorum olim Kabo respondebat, ut dictum.

3 Italicæ, vinitorum & quadrilibris.

4. Georgica.

5. Militaris.

Judæorum choenix quadrupla aut ferè quintupla: & cur.

7. Atque illas tales Choenicas, nempe minimas, aut bilibres, pauxillo amplius, capiebat Hómer. quam diætam quadruplam, atque adeò ferè quintuplam fuisse, mirum non debet videri; quum Deus populum suum dilectum non servorum, aut mancipiorum instar, Choenicâ quotidie, hoc est, parcé & tenuiter, verùm liberaliter ac copiosè nutrire & educare voluerit, quò in murmura & tentationes contra se, Mosémque, ipsi alioquin apud Ægyptios ἐν ἀφθόνοις τραφέντες ἐν γαίᾳ ἐριθηλεῖ καὶ λιπαρῇ, se effundendi minus occasionis haberēt. Adde, quòd Israelitis tunc temporis nullum obsonium fuit præter manna, hoc verò tritico exstitit multo levius, circulari suâ & pellucidâ rotunditate plurimum intra se vacui, hoc est, aëris, continens. Et fieri potuit, ut Israelitarum corpora etiam tum fuerint nostris aliquãto graviora & proceriora, quum verisimile sit, corporum humanorum proceritatem & robur, tunc maximè imminui cœpisse, quãdo imminui cœpit hominis longævitas. Id verò ante Mosis tempora cœpisse non legamus: & si concedatur, etiam ab Abrahami, maximè verò inde à Noachi temporibus cœpisse, tamen credibile non est, paucis adeò annis, qui interfluxerant,

tantùm

tantùm imminutam, quanta hac ætate est; qua non cœlum, non tellus, non bruta vel plantæ solùm, sed homines ipsi (qui tamen ——— —*cœlesti sumus omnes semine oriundi*, ut canit Lucretius, * & Juvenalis explicat: *

*Lib. 1.
*Sat. 16.

——————————— Venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumq; capaces,
Atque exercendis, capiendisq; artibus apti,
Sensum à cœlesti demissum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram spectantia:

adeò εἰς χεῖρον προσκίπτουσιν, ut subsidentis & collabescentis hujus ipsius ævi caducam & cariosam vetustatem subinnuant. Verùm quia & Jsraelitas voracissimos lurcones, & rapidissimos manducones id temporis fuisse cõstat, quo ignotis in oris, crebris suis profectionibus & fatigationib. famem egregiè proritabant, ideò diætâ cottidianâ ampliori & liberaliori omnino opus eis fuit. Atque hanc talem aut tãtam fuisse, adhuc minus mireris, si quid Athenæus, bonus & priscæ fidei auctor, de muliere Alexãdrina quadam prodit, memoriâ repetas, quæ haud longâ morâ, sed vnâ in cœnâ, nedum die integro libras carnis duodecim edit, panis quattuor choenicas, vini autem congium adbibit.

8. Cæterùm ab assiduo illo usu, quo Deus, περιπίδεσσι θεοσόργοισιν ἀέξων, Iudæis diætam sive diariam per mensuram Homeris, tam longo tempore, liberaliter distribuit ac subministravit, scitè admodum vereque hæc ab עמר *hamár*, *ministerio alicujus uti*, vel *commodum ex aliqua re percipere*, deducitur, tanquam mensura subministrando & percipiendo victui quotidiano serviens: nisi deducere libeat ab עֹמֶר *hómer*, *manipulum frugum* declarãte, ut mensura sit, continens tantum tritici, vel frumenti, quantum communiter ex manipulo frugum potest excuti.

Homer dictus à subministrando & percipiendo.

9. Inde etiam vrnulam illam auream, quæ mensuram *Hómer* plenam capiens, erecto Tabernaculo & Templo, ad secu-

Vrnula aurea capax olim Homeris.

ad seculorum monumentum, Dei jussu & Mosis procuratione, ante illius conspectum, hoc est, Arcam, asservanda erat reposita, nobilis & ἐπιχωρίος ille, totoque Oriente clarissimus Iudæorum nummus, Siclus, in alterâ parte accuratè effictam habuit, quum alterâ virgam admirabilem Aharonis, de qua Num. 17, 8, affabrè impressam haberet.

Hæc de Hómer vel Gómer.

CAPVT IV.

De סאה *Seáh*, sive *Sato*.

Satum, tertia species mensuræ aridorum.

TERTIA Hebræorum mensura, qua frumenta & alias res aridas vel siccas metiebãtur, fuit סאה *Seáh*, vel סאת *Seáth*: contractè & iuxta Græcorum flexionem σάτον, Iosepho, Epiphanio & aliis: Latinis *Satum*. Hæc tricesima Cori, & tertia Ephæ pars fuit: triginta quandoquidẽ Sata Corum, & tria Epham præcisè ceperunt: singula verò tres Homéres, & Homéris trientem, sive sex Kabos, vel quantum capiunt testæ ovorum gallinaceorũ 144. unde non tam Ephæ *tertiarium* Latinè possis vocare (perinde ut τριτεὺς, sive *tertiarius* à tertiâ parte, quam in maiori aliquâ mensurâ constituit, fuit appellata certa mensura Græcis & Romanis:) quàm שליש *Schálisch* Hebraicè; quanquam abusivè & impropriè, à שלוש *Schálosch*, *tres*, sive *ternarium*, aut *triadem* significante. שליש *Schálisch* enim propriè tertia pars est Sextarii, sive calix quatuor cyathos communes capiens, ein trinckgeschirr / welchs helt das dritte theyl einer maß / die zwelf becher helt: Propertio, Persio & aliis Latinis *Triens* sive *Triental*. Cujus mentio fit Esa. 40, 12. *Quis complexus est trientali pulverem terræ*? & Psalm. 80, 6. *Cibas eos pane lacrymarũ, & bibendum præbes eis de lacrymis triental*. ubi in Hebræo est שליש *Schálisch*. quod priori loco de vase vel mensurâ propriè sumtum: altero allegoricè, de magnis & insolitis poculis afflictionum, quæ epotãda præbe-

bet Deus hominibus fidelibus. *modo perfectus*. *Est autem mensura librarum 43. id est, Sextariorũ 22. cujus numeri caussa inde tracta est, quòd in principio Deus viginti duo opera fecerit.* Item, *Satum genus est mensuræ, juxta morem provinciæ Palæstinæ, unum & dimidium modium capiens, cujus nomen ex Hebræo tractũ est. Satum enim apud eos nominatur sumtio sive levatio, eò quòd qui metitur, eandem mensuram sumat ac levet. Est & aliud Satum, mensura Sextariorum 22. capax quasi modius*, &c. Hæc ille. Vbi duo observanda veniunt: *Primum*; Rectè & appositè Satum ab Isidoro deduci à *sumendo* sive *levando*. Nam & Hebraïcum ac Chaldaïcum נשא *naßá* vel *neßá*, & Arabicũ סאה *Seáh*, *tollere* vel *attollere* sive *levare* aut *transferre* significat: *Alterum*; Falli Isidorum, dum geminum statuit Satum. Vnum enim est, non plura: diversâ tamen ratione capit vel Modium, vel sesquimodium: Modium capit Atticum, vel Syriacum, vel Babylonium, vel Arabicum: Sesquimodium verò Romanum.

Reducta ad Græcorum mensuras.

3. Et hæc reductio fuerit, si ad mensurariam rationem Romanam Satũ exigas, nempe deprehendes cepisse Modium cum dimidio; qui faciunt libras 30. Modius siquidem tritici viginti pendebat libras. Hoc, præter Isidorũ, cujus verba modò commemorata sunt, Josephus testatur Ἀρχαιολ. lib. 9. cap. 2. inquiens: Ἰσχύει δὲ ζάτον μόδιον καὶ ἡμισζων Ἰταλικήν; *Valet autem Satum modium & dimidium Italicum*: per *Italicum* Romanum indigetans. Quem sequitur Epiphanius: τὸ ζάτον ὑς ξεςῶν. Vbi Capellus legit κϐ. & Sextarios Atticos intelligit, nempe 22. vel legit κ'δ. & intelligit Romanos, nempe viginti quatuor. Rectè quidem, meo judicio. Vt enim, si exactè loqui velimus, Satum æquabat Sextarios Romanos 24. ita Atticos æquabat nonnisi 22. numero rotũdato sumto pro decurtato, nempe $21\frac{3}{5}$. Facilis autem à librariis lapsus esse potest, ut pro κ scribatur υ, & pro ϐ vel δ scribatur.

Ad Romanorum.

5. His omnino suffragatur Hieronymus commenta-

riis in Matth. cap. 13. *Satum genus est*, inquit, *mensuræ, iuxta morem Palestinæ provinciæ, unum & dimidium capiens modium*: puta Romanum, &c.

Ad nostratem.

4. Quòd si ad nostram reducas rationem, reperies, Satum cepisse nostratem quartarium, ein viertheil / & quinq; libras tritici, quæ libræ faciunt duos circiter dodrantes quartarii, 2 Immi / ongefahr: sive præcisè dodrantem, & quatuor quintas partes dodrantis, sic $1\frac{4}{5}$.

Satum ab interpretibus modius redditus.

5. Porrò hanc mensurã interpretes Latini vulgò reddunt *Modium*, respectum habentes non tam ad generalem Modii significationem, qua non rarò mensuram γενικῶς designat, ut מדה *middáh* Hebræorum, & *Modius* etiam Latinorum, quod posterius à priori illo fluxit, quàm quòd exactè & præcisè, sive διὰ πολλῆς ἀκριβείας, *accuratâ quadam animadversione*, ut loquitur Epiphanius, hæc mensura respondit Modio Attico, vel Syriaco, vel Babylonio, vel Arabico. Vnde non tantùm LXX interpretes *tria Sata* transcribunt τρία μέτρα, *tres mensuras* Gen. 18, 6. & 1. Sam. 24. & 2. Reg. 7. bis terve: sed Ambrosius etiam in Lucam Satum communi *mensuræ* nomine appellat, videlicet aut LXX Græcos secutus, aut respiciens in reduplicatam *Sati* vocem סאסאה *Sassáh*, quæ generaliter & expressè *mensuram* declarat Esa. 27, 8.

6. Quin sanctus Matthæus ipse cap. 5. vers. 15. ubi τοῦ μοδίου meminit, *Satum* videtur intellexisse: ut colligi potest ex nunquam satis laudatâ declaratione Syri interpretis, qui *Modium* reddit סאתא *Sátha*, tum illo loco, tum Marc. 4, 21. & Luc. 11, 33. Sed videtur ideò μόδιον vertisse, quòd hæc mensura, illis temporibus, quibus sub Romanorum erant imperio Iudæi, tum Romanis, tum Græcis, inprimis esset nota & usitata, itemque Atticum Satum Græcorum Modium præcisè æquaret, aut Romanum nonnisi sesquialterâ ratione superaret. Adde, quòd Evangelista non exactè aut professoriè loco illo *Sati* mensuram describe-

describere studio habuit, sed nonnisi generaliter monere, *ne Lucernam ponamus subter Modium*, sive subter aliud mensuræ genus quodcunque. Cæterùm pedem hîc figere paullùm lubet, & admonitionis hujus non tam scitæ, quàm elegantis explicationem subjicere. Igitur Λύχνον τιθέναι ὑπὸ *NOTA.*
τὸν μόδιον, *Lucernam ponere subter Modium*, quod Syrus in- *Subter*
terpres reddit: סים שרגא תחית סאתא, *Sajem Scheragá* *Modium*
técheth Sathá, juxta mentem Servatoris, est illustribus Dei *ponere lucernam,*
donis & muneribus non uti, sive in suum, sive in alienum *Prov.*
usum, vel, his abuti, hoc est, ea impendere in usum ma- *Matth. 5.*
lum, quod DOMINUS alibi dixit, Ἀποκρύπτειν τὸ ἀργύριον *15.*
τοῦ κυρίου αὐτοῦ, *Abscondere pecuniam domini sui*, Syriacè, *Abscondere*
טש כספא דמרה *tásch caspá demaréh*: ut servus nequam fa- *re pecuniæ domini sui.*
ciebat: qui pecuniam à domino suo acceptam, eius occu- *Prov.*
pandæ & exercendæ caussâ, humi defodit, quo nec ipse, *Matth. 25.*
nec alii ejus usu fruerentur. Quam sive invidiam, sive i- *18.*
gnaviam Græci veteres τῆς πηγῆς ἐσφραγισμένης, *fontis obsi-* *Fons obsi-*
gnati emblemate signatè adumbrârunt; qui etsi intus per- *gnatus.*
ennibus ac dulcissimis aquarum bullis stillat: tamen undique lapidibus inclusus, & annulo etiam obsignatus est, ut ad eum accedere, guttulámque inde haurire nemo queat. Cum quo congruens est à Nerone apud Suetonium jacta-
tum dicterium, *Occultæ Musicæ nullus respectus.* Vbi ma- *Occultæ*
gnum Galliæ luminare Casaubonus in suis animadversio- *musicæ.*
nibus eruditissimis Græcum Senarium fuisse adnotat,

Τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος,
Nullus latentis Musicæ respectus est:
Non erit ignotæ gratia magna lyræ, inquit, Ovidius, quod Lucianus in Harmonide sic profert: οὐδὲν ὄφελος ἀπορρήτου καὶ ἀφανοῦς μουσικῆς, *Egregiam Musicam, quæ sit abscondita, eam esse nulli rei*: reddit Gellius lib. 23. cap. 10. Cum quo congruit & hoc,

Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido:
& hoc, *Abdita quid prodest generosi vena metalli,*
Si cultore caret?

In quem ſenſum Horatius inquit:

Paullùm ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus, &c.

& Perſius, *Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.*

Clauſis incubare theſauris. Quintilianus libr. 10. cap. 1. Tales, qui eximiis donis præditi quum ſint, tamen in publicum non proſunt, ſed, in occulto delitèſcunt, clauſis theſauris incumbere dicit. Vnde Dionyſius tyrannus de cive certior redditus, quòd domi defoſſum aurũ haberet, illud ei auferri iuſſit. Quũque paullò poſt reſciviſſet, ipſum aliquâ theſauri parte clanculùm ſubtractâ, in alieno territorio ſibi prædium comparâſſe, accerſito omnem illam auri vim reddidit, eum hortatus, ut in poſterum opibus uteretur, nec quod utile eſſet, redderet inutile. Ptolemæus etiam Philadelphus, Ægyptiorum rex, hoc uſus legitur proverbio de theſauro in terram defoſſo, vel fonte obſignato & clauſo. Quum enim is à Iudęis exemplar Bibliorum impetrâſſet, & characteres Hebraïcos, ac legendi rationem ignoraret, ad illos, referente Epiphanio *, reſcripſit hæc verba: Θησαυροῦ κεκρυμμένου, καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης, τὶς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; οὕτω καὶ ἡ παρ' ὑμῶν ἀνεσταλμένη τῶν βιβλίων ὑπόθεσις. ἡμῶν γὰρ μὴ δυναμένων ἀναγνῶναι τὰ γράμματα τούτων, εἰς οὐδὲν ὄφελος ἡμῖν γενήσεται: *Theſauri occulti & fontis obſignati quæ eſt vtilitas in vtriſq;? Sic etiam librorum à vobis ad nos miſſorum doctrina vel argumentum ſe habet. Quum enim horum litteras legere non poſſimus, nulla erit nobis inde utilitas*, &c. Hæc adſpergere placuit ἀναπολογήτως καὶ παρέργως.

* De menſ. & pond.

Sati fit mentio Gen. 18, 6. 7. Pergo & ad noſtrum μέτρον, redeo, ne quis clamet οὐδὲν πρὸς μέτρον. Huius Seæ vel Sati fit mentio Gen. 18, 6. vbi Sara, Abrahami conjunx, jubetur à marito feſtinanter, καὶ μετὰ σπουδῆς, *tria ſata farinæ ſimilagineæ*, hoc eſt, puriſſimæ & purgatiſſimæ ſumere, eamq; depſere, & placentas inde conficere, ad excipiendos ſcilicet Angelos, interque hos illum θεὸν ἢ ἀνάμπλακον ἄνδρα, εἰν ἑνὶ δισσὸν ἐόντα,

qui

qui *Personâ Deus & Mortalis, in unâ est.* quos ἀνθρωποειδεῖς, humanâ ſpecie iter facientes Abraham in tentoriũ ſuum humaniſſimè invitavit, recepit, omni officiorum genere proſequutus eſt. Vbi tria conſideranda veniunt, ſilentio non obliteranda:

Primum eſt Hoſpitalitas Abrahami, qua ipſe, licet tantæ authoritatis, ut fuerit φοβερὸς βασιλεῦσιν ὑπερφιάλοις, *terribilis ſummis quoque regibus*, tamen circa meridiem, quo ferè tempore propter vim æſtûs, in fervidis præſertim illis Orientis regionibus, viatores ſolent divertere, ad tabernaculi ſui oſtium ſedens, hoſpites tum infimæ, tum ſummæ conditionis, ut ſcitè Baſilius loquitur, quaſi venatus & aucupatus eſt. quod exemplum illuſtris viri, ut & Lothi, cognati ejus, omnibus fidelibus commendatur Hebr. 13, 1. Τῆς φιλοξενίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε. Διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους, &c.

Abraham exemplum hoſpitalitatis.

Alterum eſt inſignis ſanctiſſimæ Sarę induſtria & ſedulitas, quæ quantumvis nonagenaria, nobiliſſima, opulentiſſima, & omnino omnibus virtutum numeris perfecta matrona, tamen à labore ſe non ſubtraxit, ſed cibos incredibili celeritate, indefeſſóque ſtudio apparavit, ſubigendis non uno, non binis, ſed ternis Satis farinæ: quæ fecerunt præcisè tres Modios Syriacos, vel Babylonios, vel Arabicos, vel Atticos, vel quaternos cum dimidio Romanos: noſtrates verò quartarios ſive quadrantes tres cũ quinque libris; quæ quinque libræ, ut computatum eſt ſuprà, faciunt quartarii dodrantem & quatuor quintas partes dodrantis. **drey viertheil vnd ein Immin / ſampt $\frac{4}{5}$ eines Immins.** Quod intelligatur non quaſi Sara ſola tantum farinæ ſubegerit. Vna etenim muliercula, aut materfamiliâs, & hæc præſertim προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς, huic labori fuiſſet impar: ſed quum numeroſam haberet familiam maritus, quis dubitet, ancillarum operâ in depſendo & pinſendo uſam? quæ ea ipſa menſura fuit,

Sara, exemplum induſtriæ.

nempe tria Sata, aut unum Epha, quæ ſemel uſitatò pinſebatur. unde certè à radice אפה *aphá*, *pinſuit* Epha videtur dicta: niſi malimus ſic dictum; quòd tali vaſculo ad præparandam maſſam farinariam fortaſſis utebantur.

Victus & diæta antiqua. Caro vitulina. Butyrum. Lac. Placenta.

Tertium eſt antiquus victus ac diæta, qua peregrini & hoſpites à Veteribus quondam in ipſis incunabulis Mundi excipi & tractari ſolebant? Mentio enim fit non tantùm vituli teneri & lactentis, qui ſub matris rumâ, hoc eſt, mammâ adhuc erat, *ſubrumus* ideò dictus Latinis, Græcis γαλαθηνὸς, ὑπομάζιος, ὑπομάστιος & ὑποτίτθιος: ſed etiam butyri & lactis, & inprimis placentarum. ubi per placentas, Hebraicè עגות *hyggóth*, ab עוג, *húg*, *placentas ad ignem coquere*, intelligitur panis ad ignem, vel ſuper prunas, aut cineres coctus, *ſubcineritius* vulgò, Chaldæis & Syris חכרא *chararà* à חר *chár*, vel חרר *charár*, *exuſſit*, *combuſſit*, &c. & ἀπανθρακίς Græcè, ex ἀπανθρακόω, quod itidem eſt *exuro*, &c. à quo dicti לעגי מעוג *ſahagéh mahóg*, *ſanniones placentæ*, qui gulæ vel ventris cauſsâ aliis partim adulantur, partim detrahunt, alibi רוכלים *rochelím*, quaſi famæ aut honoris proximi nundinatores ex verbi רחל *rachál*, hebraicâ ſignificatione, vel quaſi eſores placentarum ex Chaldaicâ, cognominati Lev. 19. 16. quos Græci παρασίτους & τραπεζολοίχους, *paraſitos* & *menſarum liguritores*, aliiſq; nominibus appellant. In more enim ſitum fuit apud Hebræos, teſte R. Solomone ad locum citatum, ut qui adulatoribus delectaretur & delatoribus, is convivio exceptis placentas & alios cibos mellitos ac delicatos apponeret, quò promtiores ad calumniandum detrahendumque eſſent. à qua radice [illegible]g, natum etiam proverbium, עוגה בלי הפוכה *Sugáh beli ſaphucáh*, *Placenta non verſa*, id eſt, *ſemicocta*, quæ ab unâ parte uſtulata, ab altera incocta eſt, de homine præcocis, & immaturi conſilii atq; iudicii: quales Ephraïmitas fuiſſe Hoſeas docet, qui immaturo, & planè non cocto cõſilio, mutârunt cultum patrium in externum: quo nomine à

Placentæ ſanniones Pſal 35. 16.

Placenta non verſa, Hoſ 7, 8.

Propheta quidem perstringuntur. quanquam de homino etiam valde esuriente, & famis impatiente exponi possit, qui non expectat, dum placēta, quæ subjectis prunis coquitur, ex utraq; parte cocta sit, sed semicoctā vorat: qua profectò aviditate gentes iampridem regno Ephraimitico inhiantes, avidè illud diripiebant, & diglutiebant.

Veterum etiam frugalitas ex diætâ illâ atq; victu, qui dapibus ejusmodi rusticis contenti, eas magno in pretio habuére, clarissimè apparet. ut certè totū olim rusticum ac pastoritium vitæ genus, tanquā δικαιότατον κτῆμα, ut vocat Eurypides, & optimum, & uberrimū, & dulcissimum, & homine libero dignissimum, ut Tullius, apud Iudæos & Romanos summo in honore, adeóque regum, principum & magistratuum felicissimum seminarium fuit. *Frugalitas antiqua.*

8. Secundò, Mensuræ Seæ vel Sati bis térve Regū annales meminerunt, ut quum Abigaïl, Nabalis uxor, dicitur accepisse *quinq; Sata* polentæ, sive aristæ tostæ, regis Davidis iræ placandæ offerenda. quæ faciunt Epham, & sex Homéres, ac duas tertias partes Homéris: sive quinq; Modios Syriacos, vel Babylonios, vel Arabicos, vel Atticos: Romanos verò septem cum dimidio; qui quidē quini conjunctim pendent libras Romanas tritici 150. hoc est, sesquimodium nostratem Tigurinum, anderthalben mütt. Quo facto Abigaëlis prudentia, opulētia, liberalitas, hospitalitas, amor in conjugem, licet fatuum, inque totam rem familiarē, & aliæ fœminatiæ virtutes apertissimè ob oculos ponuntur. Item, quum Elias ille ἁρμελάτης Ισραηλιτῶν ἔξοχος ἀρχῆς, *Israëlidum currus rectorq;*, de vero Numine, adversus superstitiosorum collegia contendens, dicitur parâsse aquæductum, capientem quasi *duo Sata*; quæ faciunt sex circiter Homéres, & duas tertias partes Homéris: sive circiter duodecim Kabos: sive quantum ferè capiunt testę ovorū gallinaceorū 288. binos verò Modios Syriacos, vel Babylonios, vel Arabicos, vel Atticos: at Romanos ternos, & nostratē Semodium cum decē unâ libris,

Sati etiam mentio fit 1. Sam. 25. 18.

1. Reg. 18. 32.

einen halben mitt vnd 3 Jmmin sampt $\frac{3}{5}$ eines Jmmins. &c. quanquam hic Rabbini *duo Sata* exponunt latitudinem, quam occupant duo Sata seminata, metonymicè.
2. Reg. 7, 1, 16. Item, quum alibi *Satum* similæ, & duo Sata hordei, æstimantur singula Siclo argenteo didrachmo communi, hoc est, quadrante argentei uncialis sive Thaleri: monetâ verò nostrate 13 *aßib*. & 4. *obolis*, Thalero ad 80 cruciatos sive crucigeros reducto; qui Gallicâ monetâ dimidiū circiter Francum seu libram conficiunt. Quo subita rerum omnium abundantia, civitati Samariæ obventura, significabatur.

Matth. 13, 33. 9. Tertiò, Mensuræ hujus meminit S. Matthæus cap. 13. vers. 33. in parabolâ mulieris, quæ acceptum fermentum in *tria Sata* farinæ indidit, usque quo tota fermentaretur. quæ *tria Sata* justè efficiunt Epham, vel tres Modios Syriacos, vel Babylonios vel Atticos, ut dictū. Hieronymus hîc *tres sesquimodios* rectè intelligit, puta Romanos. unde sententiam ejus doctissimus Jnterpres in annotationibus suis ad hunc locum sequitur. Hac autem parabolâ Servator innuere voluit, salutis nostræ negotium primùm parva in nobis initia habere, sed mox, Dei beneficio, tantum proficere, ut toti verbo ejus occupemur, moveamur, impellamur: immò alii quoque incrementum fidei nostræ, per quam sursum subinde crescimus, adque cœlum ducimur, lucidissimè perspicere possint.

Satum in certas quoque partes divisum. 10. Denique silentio hîc præteriri non debet, Seā vel Satum in certas quoque partes fuisse divisum, ut docent Hebræorum doctores. Hinc *dimidiæ Seæ* vel *Sati* meminit πολυκλής Rabbi Moses; quæ tres capiebat Kabos, sive quantum capiunt testæ ovorum gallinaceorum 72. Et ad locum Levit. 22, 14. ubi ḡ חמישית *chamischith*, hoc est, *quintæ partis* fit mentio, nominatim Seæ vel Sati quintam partem intelligit. Quod arguit, Satum in quinas pluresve partes subdivisum fuisse; quarum singulæ comprehende-

prehendere potuerint tantum tritici, vel rerum ejusmodi aridarum, quantum capiunt testæ ovorum gallinaceorum 28. & quatuor quintæ partes testæ, ὡς ἀκριβέστατα. Quòd porrò minori Seâ vel Sato usos Iudæos ante occupatam terram promissam, & inhabitatã Hierosolymam, idem R. Moses perhibet, quia id nullo expresso testimonio nititur, ideò in medio relinquendum duco.

Hæc de *Seáh*, vel *Sato*.

Capvt V.

De איפה *Epháh* vel *Ephí*.

Qvarta Hebræorum mensura, ab eis olim in Aridis vsurpata, fuit איפה *Epháh* vel *Ephí*: lxx interpretibus οἰφὶ vel ὕφι, nomine ab Hebræo corrupto. è quo fonte nonnullis videntur appellationem hausisse ὑφὴ vel *Hyphe*, & οἴφιν vel *Oephin*, Ægyptiorum mensuræ, quamvis diversi ponderis vel capacitatis. Constat enim *Hyphen* duo Hinia Ægyptiaca cepisse, ac proinde tãtum pendere solitam oleo plenam, quantum pendet Choenix Attica vino plena: Oephin verò cepisse octo Hinia Ægyptiaca, quæ faciunt totidem sextarios Atticos: Sextarius quandoquidem Atticus, sive Cotyla maior Attica, & Hinium Ægyptiacum mensuræ fuerunt ἰσόμετροι. *Epha, quarta in aridis mensura.*

2. Cæterùm *Epha* tantum in Aridis capiebat, quãtum in Liquidis *Bathus*. Vt Ezechiel Propheta cap. 45. expressis verbis testatur, quum inquit: *Epha & Bath mensuræ unius sunto*: & explicat: *Vt capiat decimam Chomeris Bath, & decimam Chomeris Epha*. Hieronymus suis ad hunc locum commentariis in eandem discedit sententiam. Ait enim: *Epha, quæ in Græco sermone est* ὕφι, *ad mensuram pertinet variarum frugum, verbi gratiâ, tritici, hordei, leguminum, &c. Porrò Bathus, qui Hebraicè appellatur* בת *báth, eadem mensura est, quæ & Ephi: sed in speciebus tantùm liquidis, vini, olei, & istiusmodi.* *Ἰσόμετρος batho.*

Reducta ad mensuras Hebræorum.

3. Continebat porrò *Epha* tres Seas ſive Sata, quæ faciunt denos Homéres, ſive octonos denos Kabos. Vnde Chaldaïcus paraphraſtes pro *Epha* Hebræorum exegeticè ponit תלת סאין *teláth Scin, tria Sata*, Exod. 16, 37. Ruth. 2. & alibi. cujus ſententiæ Hebræi ſcriptores ad unum omnes ſuffragantur: inprimis autem ei firmandæ R. Solomon hoc ſolenne teſtimonium ſuggerit, quod illuſtrandæ & intelligendæ toti rei menſurariæ oppidò ſervit,
האיפה שלש סאין והסאה ששת קבין והקב ארבעה לוגים
והלוג ששה ביצים · ונמצא עשירית האיפה ארבעים
ושלוש ביצים וחומש ביצה· והוא שיע ורלחלה ולמנחות:
Epha, inquit, *capit tria Sata: & Satum: ſex Kabos: Kabus autem quatuor Logos: & Logus, quantum ſex ovorum teſtæ. unde colligitur, decimam partem Ephæ capere quantum capiunt teſtæ ovorum quadraginta trium, & quinta teſtæ pars. Et tantū quidem accipi ſolitū pro oblatione placentæ, quæ challáh dicitur, proq; oblationibus cibariis*, &c.

Definita etiam ovis gallinaceis.

4. Hîc duo obiter notet Lector, haud prætereunda. *Primum* eſt, hunc Legis interpretem Solomonem menſuras Hebræorum ovis etiam æſtimare tam in Liquidis, quàm in Aridis: ſed puta ovis non anſerinis, verùm gallinaceis communibus & mediocris amplitudinis, cujuſmodi ovum Capellus circumſinit tribus pollicibus Hebræis latitudinis, & totidem longitudinis, altitudinis verò triente pollicis, & amplitudinis itidem tribus pollicibus. ex qua capacitate ei *cyathi Hebraici* nomen indit; quia videlicet tot capit pollices Hebræos, quot cyathus Atticus pollices capit Atticos, & cyathus Romanus pollices Romanos. Ejuſmodi ova vel cyathos LXX, Epiphanius, Hieronymus, Pagninus & alii intelligendos putant per מנקיות *menakióth*, Exod. 25, 29. & 37, 16. item Num. 4, 7. unde μεθεκώθ corruptè legitur apud Epiphanium pro μενεκώθ. Sed malim illic *Emundatoria* intelligere, hoc eſt, *ſcopulas* ut reddit Junius, ad repurgandam ſcilicet men-

ſam

sam sacram, in Tabernaculo & Templo adhibitas, ut certè vocis etymon à נקה *nikkáh*, *mundare*, *purgare*, &c. manifestè docet. quanquam non ignorem, Hebræos hîc variare, & *furculas*, *calamos*, aliterque interpretari. Quicquid sit, extra dubitationis aleam est, Hebræorum doctores quasi fundamentum mensurarum ponere ovum, sive ovi testam. Id R. Moses his disertissimis verbis testatur:* *Quantitatum & mensurarum fundamentum est ovum commune gallinaceum*. Addit: *Et malogranatum commune, & oliva communis, & palma communis, & faba communis, & lens Aegyptia communis, & granum hordei commune*. Verùm quàm infirma & instabilis hæc sit æstimatio, hinc liquidò constat, quòd, etsi ovorum inter se similitudo in proverbio sit de indiscretâ similitudine rerum, tamen etiam gallinæ ovum ovo est majus.

*tract. chelâim. de mixturis.

5. *Alterum*; quod hîc liceat observare, est vox חלה *challáh*; qua R. Solomon, & veteres Hebræi certum placentæ genus significant. Hieronymus *collyridam*; alii *crustulam*: *placentam* alii *rotundam* vertunt; quam mulier, volens panes pinsere, priùs de subactâ farinâ seu massâ frumẽti tollere & sacerdoti offerre tenebatur. Hodie quum Templum amplius non exstet, & sacrificiorum usus abolitus sit, hujusmodi placentam Iudæorum fœminæ exurunt, eò quòd, ut ajunt, nefas sit, inde aliquid utilitatis capere. Sublaturæ autem massam hac utuntur benedictione. ברוך יהוה אלהינו אשר קדשנו וצינו לנזר את חלה משארה ומבצק *Benedictus sit: Dominus Deus noster, qui sanctificavit nos, & præcepit nobis separare placentam de pasta*, A quo prisco Iudæorum offerendi Deo panes & placentas ritu mos κακίζηλος Ethnicorũ fluxit, panes sive placentas cum omnib. Diis, quæ γέλανοι Græcis dictæ, tum alias proprias & peculiares Diis certis offerendi: quales erant ἀμφιφῶντες, Dianæ, affixis circumquaq; accensis Ce-

Challáh, placentæ genus.

Placentæ offerri solitæ etiam ab ethnicis.

reis, in templo ejus, *Munychia* dicto, * offerri solitæ: item ὀβελίαι; quæ Dionysio sacræ, à certis ministris, ὀβελιαφόροις inde dictis, in illius templum inferebãtur: item βοῦς, placentæ genus, à cornuum bovis formâ, quæ Apollini, Dianæ, Hecatæ, ac Lunæ offerebatur: item μελιτοῦτα, *placenta mellita*, ἀρεστὴρ etiam & ὑγιεία dicta; quæ Trophonio erat sacra; Hebræis, Syris & Chaldæis proprio nomine צבחית *Zabchith*, ex solo quippe melle confecta: item ὀρθοστάτης, itidem panis sacri species. Cujus farinæ placentæ videntur fuisse, quas hunc ipsum Ethnicorum ritum sequuti Israëlitæ posteris temporibus, obtulerunt *Machinæ* vel *Operi*, Ierem. 7, 18. & 44, 19. operi scilicet præclarissimo, præstãtissimo & Dei, hoc est, cœli exercitui, nempe Lunæ, Soli, & aliis stellis. quæ placentæ כונים *cavaním* dictæ à Propheta, propriâ & peculiari voce, à כוה *caváh*, *exurendo* vel *comburendo*, sive ἀπὸ τοῦ καίειν (quæ ipsa Græca vox ab hac Hebræâ videtur nata:) ad ignem torrefactæ, triangulari erant formâ, ut לבבות *lebibóth*, *lagana* sive χαρίζια, quæ facta aquâ calidissimâ, מים עם המים, *aquâ aquarum*, ut loquuntur Hebræi, nomen sortita sunt ex לב *léb* vel *lebáb* voce *cor* significante; non tam quòd cor reficerent, quasi *cordis refectoria*, quàm quòd cordis formam imitarentur 2. Sam. 13, 6. quanquam Junius latas, tenues & rotundas fuisse perhibet, (quæ קרצים *kerazím* aliter dicuntur Hebræis:) & certas formas expressas habuisse vult pro ratione Idolorũ, quibus debebant offerri. quod genus placentarum Ægyptii & Romani à Græcis desumtâ voce dixerunt *popana*, eò quòd τῶν τρόπων, id est, *Deorum effigie*, quibus offerebantur, erant insignita. Cum qua superstitione tum Iudæorum, tum Ethnicorum, Epiphanius * hæreticorum quorundam in Arabia idololatriam comparat, qui *Collyridiani* fuerunt dicti. eò quòd certæ quædam mulieres, in curru sellâve:

* Pauf. apud Eust. Ιλ. λ.

Collyridiani hæretici dicti à placentis.

* libr. 3. cont. hæres. tom. 2. cap. 78, & 79.

ſellâve ornatæ, ac velo paſſo obductæ, collyram ſive placentam, illuſtri quadam die proponere, ac Mariæ ἀειπαρθένȣ καὶ θεοτόκȣ nomine offerre ſolebant, quo ſimul omnes participabant: quod impium, nefarium, ac planè diabolicum opus, & impuri ſpiritus doctrinam ipſe vocat, &c.

6. Redeo ad *Epham*. Si hæc ad Græcorum mēſuras reducatur, deprehendetur præcisè capere Metretā, vel Cadum, vel Amphoram Atticam ſive Athenienſem. quæ menſuræ omnes ejuſdem capacitatis ſunt, & ſingulæ capiunt ſexaginta ſex Sextarios Atticos, hoc eſt, æquāt eadem illa tria Sata, de quibus ſuprà; quorum Satorum ſinguli unum capiebant Modium Atticum, vel Syriacum, vel Arabicum, vel Babylonium, &c.

Epha reducta ad Græcorum menſuras.

7. At juxta Romanorum rationem menſurariam *Epha* capere potuit quatuor & dimidiū Modios: Modius quandoquidem Romanus raſus præcisè pēdebat viginti libras Romanas tritici. Aut potuit capere Hydriā Romanā, ſed ejuſdem in liquidis menſuræ. quę Hydria in Aridis capiebat pōdus librarum nonaginta. quæ libræ 90 ἰσόμετροι ſunt Modio uni noſtrati Tigurino, demptis decē libris, & Modio reducto ad centum libras. Ita ſtatuemus Ephā cepiſſe tantum, quantū capit Modius Tigurinus, minus dextāte, einen mütt/ minder 3 Immin vnd $\frac{3}{5}$ eines Immins. Iuxta quā rationē Epha proximè acceſſerit ad pōdus Artabæ tritico plenæ, quæ Babylonia vel Perſica fuit mēſura Aridorum.

Ad Romanorum, & hodiernā.

8. Cæterùm communiſſima & notiſſima menſura Hebræorum fuit *Epha*, ac reliquarum menſurarū quaſi rationes cōtinuit, ideoq; qui ejus rationem intellexerat, aliarū ſingularum capacitatē ſtatuere potuit: ut è contrariò, qui in eâ errabat, in cæteris non potuit non errare: perinde ut in Sextario apud Gręcos vel Romanos ad totā menſurarū rationem cognoſcendam plurimùm olim ſitū fuit. Hinc quū in S. litteris de menſuris Aridorū vel ęquis vel iniquis

Epha communiſſima olim menſura: unde pro menſura generatim.

agitur, mentio fit *Ephæ* tantùm, tanquam cæterarum exemplaris: ut Lev. 19, 36. *Epha iustitiæ, & Hin justitiæ esto vobis*, hoc est, justæ mensuræ, tam in Aridis, quàm in Liquidis: & Deut. 25, 14. *Neque esto tibi domi tuæ Epha & Epha*, hoc est, diversæ mensuræ: & Prov. 20, 10. *Lapis & lapis, Epha & Epha abominatio Iehovæ*, hoc est, diversa pondera, ad quæ Veteres lapides adhibebãt, & diversæ mensuræ. Sic quum avarorum Iudæorum fraudem describit Amos Propheta cap. 8. vers. 5. dicit, *Eos minuere Epham*, hoc est, mensuras, adeò ut accipiant majoribus justo, & vendebant minoribus. qualem mensuram Mich. cap. 6. vers. 10. איפת רצון *Ephâth ratzón, Epham tenuem, macram*, sive *macilentam & deficientem* vocat. Quæ generalis hujus vocis significatio permovit Chaldæum & LXX Interpretes, ut locis citatis ex Levitico & Deuteronomio Epham verterint מכילא *mekíla*, καὶ μέτρον, non ὕφι, hoc est, *mensuram* absolutè, & simpliciter, & κατ' ἐξοχὴν, tanquam principem, & communissimam, ac proinde notissimam mensuram. quo modo reddunt etiã in loco Zach. 5. de quo pòst.

Epha specialiter sumtæ fit mẽtio Iud. 6, 19.

9. Speciatim deinde & propriè sumta vox hæc sæpiùs occurrit: ut quum θρασυκάρδιος Gedeon dicitur Angelo, qui de bello Madianitico ipsum monuerat, quo

——— σαλπίγγων μυκήμασι, καὶ πλαταγῆσι
Κρωσσῶν ὑδροχόων, στεροπῇ τ' ἀπατήνορι δαλῶν,
Σμερδαλέαις τ' ἰαχῇσι, κακὸν διεδίωσετο λαὸν
Ἀντιβίου Μαδιῆνος ———

——— *tubæ strepitu, & crepitu fluviatilis urnæ*
Nocturnæ, & fulgore facis, parvæq; cohortis
Fuderat intento clamore viriliter hostes,

paràsse panes azymos ex Epha farinæ. Quo hospitalitatis & liberalitatis erga peregrinos exemplar insigne nobis proponitur, adque imitandum commendatur: ut quem

non

non piguit pro uno Angelo tantum panis cõficere, quantum sufficere potuit personarum quadraginta quinq; cibo diurno: quum constet, unam Choenicam diætam olim fuisse opilionis Catoniani apud Romanos: harum autem quadraginta quinque unam efficiãt Epham: bilibres nimirum seu minimæ, quæ & opilionum Choenicæ fuerunt dictæ. Quæ virtus commendatior nobis sit, quòd non tantùm, præter Gedeonem, alia clarissima hospitalitatis in Sacris literis exstant exempla, ut Abrahami, Lothi, Rebeccæ, Labani, Mosis, Rachabæ, viduæ illius Sunamitidis, regis Solomonis, Zachæi, Matthæi, Martæ, Lazari, & aliorum, Christúsque ipse testatur, tantam apud Deum esse hospitalitatis gratiam, ut ne potus quidem aquæ frigidæ à remunerationis præmiis sit immunis sicut egregiè disserit Ambrosius: * sed quod etiã Ethnici, Græci, Romani & alii, quibus Naturæ solum lumen præluxit, hanc virtutem tanti semper fecerunt, omnibusque commendârunt, vt Homerus, ille fons arcanæ sapientiæ, Iovi (quo nomine illi summum Numen intelligebant, eo δι' ἀνοσιοτάτης βλασφημίας, à sanctissimo *Iehovæ* nomine ad summam impietatem traducto) peregrinos, mendicos atque supplices tantæ curæ cordique esse finxerit, ut non tam ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ, *Hospitalis, qui hospitibus simul verecundis opitulatur*, quàm ζεὺς ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξεινων τε, *Iuppiter vindex supplicumque hospitumq;* fuerit cognominatus. Qua etiam caussâ cùm publici, tum privati hospitalitii necessitudo eis, sive Gręcis, sive Romanis non tantum sacrosancta visa est, quam violare nefas esset, ut Tullius ad Q. Fratrem scribens testatur, *Non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Iovis hospitalis*: &c. sed etiam summo cultu atque religione Iovem ξένιον, sive hospitalem coluerunt & adorâruut.

Hospitalitas commendata.

* lib. offic. 2. cap. 2.

10. Cæterùm ex Ephâ illâ farinæ Gédeon paravit *panes*

Ex epha facti à Gedeone panes azymi.

panes azymos, quos Hebræi vocāt מצות *matzóth*. quæ placentæ sive panes infermentati fuerunt, sic dicti ex מצה *natzáh*, *accelerare*, *maturare*, avis in modum, pernici fugâ se recipientis, &c. quasi *panes* sive *placentæ celeriter confectæ*, neque tam ex tritici farinâ, quàm melle, lacte, caseo, & aliis; idque in usum præcipuè hospitum & peregrinorum, ut maturè comederent, reficerentur, adque quietē se componerent, quanquam alii dictas volunt ex מצץ *matzátz exsugere*, *exprimere*, &c. (à quo natæ μύζω, ἀμύζω & μυζέω, Græcorum voces ejusdem sensus, item μαζὸς *papilla*, mammæ capitulum, unde lac sugitur, &c.) quòd farina purissima ex viliore extraheretur atque educeretur ad talem placentam conficiendam: è quo genere panis, Legis divinæ quondam præscripto, ad sacrificia, non in Paschate solùm, verùm in aliis etiam solemnitatibus fuit adhibitus, præsertim ad altare DOMINI comburendus, Exod. 12. & 34. Levit. 2. Deut. 16. &c. qualis apud Gentes quoque azymus in solemnitatibus frequens fuit. ut testantur Galenus lib. 1. de Alim. facult. & ille in omni doctrinarum genere summus, Stuckius noster sanctæ memoriæ, in Antiquitatibus suis convivialib.

Maza Græcorum cognata mazæ Hebræorum.

11. Cum hac Hebræorum voce מצה *matzáh* videtur nomine & re congruens Græcorū μᾶζα vel μάδδα; quam ex farinâ & aquâ, vel lacte & oleo itidem confectam testantur Athenæus, Hesychius, & alii, ἀμολγαίη, hoc est, *lactea*, ideo dicta Hesiodo. Deinde, vt μᾶζα Hebræorum placenta fuit recens, subitò & ex tempore facta (unde nomen etiam à *festinatione* hausit:) ita talis fuit μᾶζα Græcorum; quam propterea νεομάλακτον καὶ νεοφύρατον ψωμίον, *bucellam recens pistam atque subactam* vocat Theocriti interpres: & Aristophanis in Pluto ἄρτον καὶ μᾶζαν hoc vult inter se differre, quòd ἄρτος seu *panis* iampridem μεμάλακται, *subactus est*: μᾶζα autem recenter: quodque vilior fuit

μᾶζα

μᾶζα, quám ἄρτος: & illa plurimùm ex hordeo, hic veró ex tritico confectus. Vnde apud Athenienses Solon μᾶζαν jussit adponere solã in Prytaneo vescentibus: in festivitatib. autem addere panem. à quo ortũ apud Zenodotũ proverbiũ, *Bona etiam maza post panem*, &c. Tertiò, ut maza Hebræorum dicta fuit לחם עוני וחסר *Léchem hóni vechóser, panis afflictionis & incompletus*, Auctori fasciculi myrrhæ: ita Aristophanis interpres in Pace vocat mazan ἄρτον στρυφνόν, *panem rigidum*; quem *nauticum* alii, vulgus *biscoctum*, quasi δίσεφθον, sive διπυρίτην vel δίπυρον, & *bucellatum* Ammianus appellant. Ac certè μᾶζαν rudem quendam ac tenuem cibum, nõ saccaritem illum panem, *Martium* etiam dictum, à Veteribus fuisse judicatum, ex antiquis monumentis constat. Vnde est apud Athenæum:

πεινῶντι γὰρ ἀνδρὶ μᾶζα τιμιωτέρα
χρυσοῦ τε καὶ ἐλέφαντος, *Esurienti maza pretiosior auro & ebore*. & apud Xenophontem in Pæd. Ηδὺ μᾶζα καὶ ἄρτος πεινῶντι φαγεῖν, *Maza & panis esurienti suavis esu*. & apud Plutarchum, Οὐκ ἔστιν ἐν μάζῃ καὶ φακῇ τὸ ἥδιστον, *Non est in maza & lente jucunditas*. quod ipsum etiam proverbia innuunt, *Maza esurienti*: *Maza post panem bona*: *Mazam scarabæo*, apud Erasmum. quanquam & pauci hanc inter delicatiora edulia numerare non dubitant. unde μαζῶντες Suidæ οἱ τρυφῶντες dicti: & ὑπερμαζᾶν Athenæo & Luciano est τρυφᾶν καθ' ὑπερβολὴν, *Supra modum delitiis indulgere*, proverbialiter. Videris & adagium, *Mazam pinsuit à me pistam*, &, *Albam mazam pinso tibi*, apud eundem Erasmum. Quartò, ut mazæ Hebræorum in sacrificiis quoque fuit usus: sic fuit & Græcorum. velut Pollux multis hinc inde probat, & Athenæus testatur, Μᾶζαν τὴν διδομένην ἐν ταῖς θυσίαις, ἵνα ἀπογεύζωνται, *Mazam, quæ dabatur degustanda in sacrificiis*, ὑγιείαν, id est, *sanitatem* fuisse

appellatam: forsan quia putarent, illam ad sanitatem conferre, &c.

Epha etiã mentio fit Ruth. 2, 17.

12. Ad Epham regredior. Meminit huius etiam historia Ruthæ Moabitidis; quæ ipsa legisse dicitur in agro Boazi, à matutino tempore, usque ad vesperam, quasi *Epham hordei*, hoc est, circiter *tria Sata*, sive *octodecim Kabos*; qui capiunt quasi Metretã, vel Cadum, vel Amphoram Atheniẽsem, aut quatuor & dimidium Modios Romanos, ut dictum. quos ipsos Modios Hieronymus non obscurè aliquando innuit, quum Satum, quorum tria Epham complebant, sesquimodio Italico, hoc est, Romano definit, aut numerum rotundatum ponit pro decurtato, hoc est, sex Modios integros pro quaternis cum dimidio. Cæterum ἀοίδιμος Rutha in spicilegio suo singulare præbet exemplum fidelitatis, industriæ, sedulitatis, perseverãtiæ: mysticè verò typus est præconum verbi divini; quos in sacræ Scripturæ agro, augustissimo sanè & amplissimo, spicas colligere ἀκαμάτως decet, vt, cum ipsi ἄρτιοι evadant, καὶ πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένοι, ut loquitur Apostolus, ille μάρτυς ὄμβριμος χειστοῦ: tum plebem fidelium erudiendo probé pascant.

1. Sam. 1, 24.

13. Sic Anna, Samuelis mater, qui ἐν φρεσὶ θάλπε Ζῆλον ἀεὶ πνείοντα θεοῦ κλέος, *in corde fovebat Zelum, qui toto Iovæ flagrabat honore*, dicitur introduxisse filium in domum DOMINI, cum tribus juvencis, *Ephâ farinæ*, & utre vini, illumque ei consecrâsse. Quo facto suam in Deum gratitudinem declarare pia matrona voluit, ob ademptã sterilitatem, quæ ante id tempus οὔποτε κουφίσσασα τόκῳ γλυκυαχθεῖ μίτρην, *laxârat dulci nunquam gestamine zonam Partús*. Sterilitas quandoquidem prisco ævo fœminis probro & crimini fuit tributa, propter promissum Mulieris semen, CHRISTUM, & corporalem propagationem, quæ Iudæis summæ benedictionis Dei loco erat. Ritum deinde

inde vel modum notes, quo Veteres Deo gratos se sistebant & declarabant. Hostias enim ei, sive pecudes, & munera certa, ut hoc loci juvencos, farinam & vinum, in Templo offerebant. Præterea his talibus muneribus parentes liberos suos, ceu symbolo quodam externo, Deo & cultui ipsius dicare & consecrare consueverunt.

14. Sic excelsus ille David, 1. Sam. 17.

Αἰχμητὴς κρατερὸς, βασιλεὺς σοφὸς, ἡδὺς ἀοιδὸς,
Γραπτὴρ τ' ἐσθλομαθὴς, ὅσιός τ' ἐτεός τε προφήτης.
Bellator fortis, sapiens rex, carminis auctor
Dulcis, & argutus scriptor, veraxque Prophetes,

iubetur, assumptâ *Ephâ* polentæ decem panibus, & caseis aliquot, ocyus ad tres fratres suos in castra descendere, ubi βαρύδουπος ille ἀγχεμάχης, Goliath, eos ad certamen provocârat. Quo loco singulare primò exemplum providentiæ divinæ proponitur; qua motus David cum Goliatho in certamen devenit: fidelissima deinde cura parentum in liberos observanda venit: tertiò mos Veterum; qui non accipiebant à regibus stipendia, sed singuli alituram à suis: denique rudimentum etiam antiqui victus atq; diætæ militaris Iudæorum describitur, hoc quoque loco non prætereundum.

15. Etenim David primò *polentam* adfert fratribus; quæ fuit farina fricti tostique hordei, קלי *Kalí* Hebiæis, à קלה *kaláh*, *torrere, frigere*, &c. Latinis verò à *polline*, secundùm nonnullos: cujus variam & multiplicem conficiendæ rationem videris apud Plinium *. qui & ipse hordeum in cibis antiquissimum esse dicit: sicut & ex Atheniensium ritu, Menandro auctore, & gladiatorum cognomine, qui *hordearii* ideò dicti, apparet. R. Solomon קלי *Kalí* interpretatur *far tostum in fornace*. Latini *pultem* vocant, hoc est, cibum ex farre in farinam comminuto redactum, quo Romani pro pane diu usi. πόλτον καὶ πολτάριον appel-

Polenta quid Hebræis.

* lib. 18. 8. cap.

lant Græci, more Latinorum: Rabbini רחטא rachatá, cibum ex farinâ, melle & oleo confectum. Secundò David fratribus adfert *decem panes*; qui in regione illâ εὐσταχύϊ fertilissimâ & feracissimâ optimi & crassissimi tritici, cujus genicula tuberabant renum instar, ut loquitur Scriptura, delicati valdè erant. Habebant autem Orientales non panes elevatos, ut nos, ad quos scindēdos gladio vel cultro opus esset: sed latos pinsebant & subtiles, placentarum in formam. unde manibus frangebant: atque hinc *frangere panem* in Scripturis tritum. Hujusmodi verò panes erant azymi, vel infermentati: ut apud nos sunt panes Alpinorum, lati, non spissi; sed εὔθραυστοι qui facilè frangi possunt, non perinde scindi, Sibentalerbrot/ Gerstenbrot / &c. quales ferè in inclyto Scotiæ regno, quum illic, annos ante aliquot in celebri Sāt. Andreana Academia litterarum caussâ peregrinarer, in frequenti usu esse sum expertus. Tertiò, David dicitur attulisse tribuno, sive chiliarchæ *decem caseos*, donativi videlicet, sive muneris gratuiti, vel etiam forsan debiti seu tributi loco: qui casei *lactei* fuerunt, hoc est, ex lacte confecti, quos *lactis filios* eleganter vocant Hebræi, vel etiam recentes; qui quidem, testibus Varrone, Plinio, & Avicenna, boni sunt succi, magis alunt, stomacho sunt utiliores, quàm veteres. Et sané non tantúm creberrimum in Iudæâ fuisse caseorum usum, ut quæ pecorum, ac proinde lactis fuit abundantissima, unde μελίρρυτος, *lacte melléque fluens* sæpe dicta, ex aliis locis apparet: sed etiam eos magno in pretio atque delitiis fuisse, colligitur vel ex hoc loco; in quo dicitur Isaï non filiis, sed ipsi duci decem hosce caseos, seu munus honorarium, misisse. Aliud exemplum victus atq; diætæ veteris militaris videas 2. Sam. 17. vers. 28, & 29. Sed ista quum non prorsus sint ἐκτὸς τοῦ ἔπους attingere placuit in transcursu.

Panes in Oriente olim delicatissimi.

Casei olim in magno pretio.

16. Deni-

16. Denique *Ephæ* fit mentio Esa. 5, 10. & Zach. 5, 5. Quibus locis Esaïas magnam tritici, vini & aliarum rerum necessariarũ inopiam avarissimis Iudæis minatur, quum prædicit, *Sementem Cori reddituram Epham*: Zacharias verò de captivitate Babylonicâ, quò abductæ fuerunt reliquæ duæ tribus, Iuda & Benjamin, quas per duas mulieres designat, vaticinatur, innuens per *Epham* talionis pœnam, quam rependere videtur Deus his, quos justissimè punit, quum defecerunt à se, & quos affligit, posteaquam alios afflixerunt; quibus ita videtur, Epham reddere pro Ephâ, hoc est, mensuram pro mensurâ, sive, ut Græci loquuntur, *αὐτῷ πήχει*, *eodem cubito*.

Ephæ quoque fit mẽtio Esa. 5, 10. Zach. 5, 5.

Hæc de Ephá vel Ephi.

Caput VI.

De לתך *Léthech* sive *Semicoro*.

Quinta Hebræorum mensura, qua in Aridis vel Siccis dimetiendis olim usi sunt, fuit לתך *Léthech*, Latinè *Letheca*, nomine ab Hebræo deflexo. Hæc definitore R. Davide, Solomone, & aliis interpretibus sacris, fuit חצי חמר *chatzí chómer*, *dimidia pars Cori*, sive *Chomé-ris*, aliter dicta Hebræis ארדוב *ardób*: Græcis verò ἡμίκορος, & *Semicorus* Hieronymo, aliisque Scriptoribus Latinis: ad hanc etenim duplam proportionem habuit Corus vel Chómer. Hinc autem apparet, illam cepisse Ephas 5, vel Sata 15, vel Homéres 25, vel Kabos 40. juxta Hebræorum mensurarum rationem: at juxta Græcos & alios capere potuit 15 Modios Atticos, vel Syriacos, vel Arabicos, aut Babylonios: juxta Romanos verò Modios viginti duos cum semis. Satum enim tritici rasum pendebat libras Romanas triginta, ut dictum suprà. Quòd si ad nostratem rationẽ reducamus Lethecam, deprehendemus cepisse Modios Tigurinos quatuor cum semis,

Léthech vel semicorus quinta Hebræorũ in aridis mensura.

Reducta ad rationem Græcorum, Romanorũ, hodiernam.

4. mütt vnd ein halben. Vt palàm fit, si Modiis Romanis $22\frac{1}{2}$ reductis ad 450 libras per libras 20, quas in tritico Modii singuli Romani pendebant, eas 450 libras dividas per libras 100, quas pendere solet Modius Tigurinus. Inde enim emergunt quatuor & dimidius Modii quæsiti.

Lethecæ fit mentio Hos. 3, 2.

2. Cæterùm mensuræ hujus Hoseas meminit cap. 3. vers. 2. in his verbis: *Et mulierem adulterantem comparavi mihi Chomère hordei, & Lethecâ.* Vbi per *Chomérem* intelligit Corum, de quo pòst, per *Lethecam* verò Semicorum, sive dimidium Chomérem. Quod integrum dimensum conjunctim capit Ephas 15, vel Sata 45, vel Homéres 150, vel Kabos 270, &c. sive Modios Græcos vel Arabicos, vel Syriacos, vel Babylonios itidem 45. Romanos verò $67\frac{1}{2}$. & nostrates Tigurinos, $13\frac{1}{2}$, &c. Est autem verisimile, pretium vel dimensum hoc pro dote datum, sive pro amore aut cõcubitu: prout adulteræ noctes gratis non dant. Quicquid sit, pretium vel dimensum parcum & tenue fuit, neque præterea delicatum, quippe hordeaceum: quo quid Spiritus sanctus innuere voluerit, dicetur capite sequenti, occasione hujus ipsius loci. Nunc advertendum, Ionathanem Chaldæum, locum illum Hoseæ aliter sic reddere: *Redemero haud dubio illos per Verbum meum decimâ quintâ die lunæ Nisan: dedique argentum in pondere ad expiationem animarum eorum: & dixi, quód offerent coram me manipulum primitiarum de hordeorum acervo,* &c. Vbi Christus Servator intelligitur primó per *Verbum*: ut qui paulló ante principium diei decimæ quintæ mensis Martii, *Nisan* hebraicè dicti, clamavit exspirans Consummatum est: quum etiam paulló anté numerati essent proditori Iudæ XXX sicli argentei sacri. Idem deinde intelligitur per *primitias*; quod nomen ei

scriptura

Scriptura sæpe indit: & per *primitias* quidem *manipulorum hordei*. Hunc enim Iudæi, putantes Deo se obsequium præstare, ceu hominem de hordei acervo, è quo vilis & parvi pretii panis coquitur, hoc est, de fece populi, crudelissimé occidi curârunt, &c. Quæ antiquissima Chaldæa paraphrasis etsi longiusculé fortassis à Prophetæ scopo aberrare videatur: tamen vis & dignitas ejus diligenter observanda est propter λιθοκαρδίυς Iudæos, qui quó se vertant, ut locum hunc contorqueant, nesciunt: præsertim quum tantæ apud eos authoritatis sit paraphrasis, ut, quamvis alioqui eis rellígio non sit τὰ κελεύσματα θεῖα βιάζειν in multis locis, quæ ad Christum spectant: tamen hanc ipsam negare hactenus nondum ausi sint.

3. Redeo ad *Semicorum*. Si R. Mosi fides habenda est, ea mensura tantum rei aridæ vel siccæ capiebat, quantum asinus ferre potuit. unde Lethecam sive Semicorum definit justum asini onus: sed tunc aut *Chómer Corus*, de quo pòst, & *Letheca* in mensurâ non different, aut *Chómer* malé à חמור *Chamór*, *asini* voce, erit deducta: nisi velimus hanc διάκρισιν instituere, ut *Chómer* sit onus muli, *Léthech* verò asini; quum cognitum sit, mulum bajulare posse gravius onus, quám asinum, prout mulus bajulare dicitur libras Parisinas trecentas viginti quatuor, mulus veró quingentas & nonaginta: sicut exemplo mulorum ἀγκυπλέτων, qui Francisci I. Galliarum Regis λύτρον, nempe Parisinas auri libras $357\frac{1}{2}$. Romanas veró $416\frac{2}{3}$ Fontarabiam tulerunt, egregié luculenterque demonstrat Capellus. *Letheca discrepat à chómer.*

Hæc de *Letheca*.

Caput.

CAPUT VII.

De כור *Cór*, vel חומר *Chómer*.

Cor sexta Hebræorũ in aridis mensura.

SEXTA, & vltima, & amplissima Hebræorum mensura, qua in rebus siccis vel aridis usi sunt, fuit כור *Cór*: Græcis, & ipsi etiam Iosepho κόρος, Hebraïco nomine retento: Latinis *Corus*. Hæc duas capiebat Lethecas, sive decem Ephas, sive triginta Sata. Et duas quidem Lethecas cepisse, in suo De Mensuris & Ponderibus tractatu docet Epiphanius. Nam quum Corus, ut ipse tradit, capax sit Satorum, quos τῶν μοδίων voce insignit, triginta, Letheca verò quindecim: facilè inde colligere est, hanc esse dimidiam Cori partem. At decem Ephas capere Corum Ezechiel Propheta testatur cap. 45. vers. 11. *Epha & Bath mensuræ unius sunto, ut capiat decimam Choméris Bath, & decimam Choméris Epha*, &c. Vbi per *Chomérem* intelligit *Corum*, ut dicetur pòst. Atque hanc certam definitamque mensuræ hujus capacitatem R. Moses multis probat, & R. David assertionem ejus confirmat, dum ait, duos Coros æquare Sata sexaginta. Idem R. Solomon, Eusebius, Hieronymus, Lyranus, & alii, locupletissimè testantur.

Reducta ad rationem Græcorum.

2. Quòd si ad Græcorum rationem mensurariam Corum exigas, comperies præcisè cepisse Modios Atticos 30. qui, ut sæpe jam dictum, Modiis Syriacis, Babyloniis, Arabicis, vel Satis Hebræorum prorsus ἰσόμετροι sunt, & singuli continent libras 30. hoc est, Sesquimodium Romanum: Modius quandoquidem hic libras nonnisi 20. continebat. Illi porrò 30 Modii Medimnos Atticos capiebant sex & octodecim vicenas quinas partes Medimni. ut manifestum fit, si per 133 $\frac{1}{2}$. (totidem enim libras singuli Medimni Attici rasi tritici pleni pendebant:) dividantur libræ 900, quas pendebant 30 Modii Attici,

hoc

hoc est, Corus. Qui Medimnus alioquin ille est, qui Atticos capiebat Sextarios 96 & Romanos 106 cum besse: Choenicas veró bilibres $71\frac{1}{9}$. & trilibres, Atticas proprié, 48. Cui Attico Medimno & præcisé respondere potest dimidius Malterus Heydelbergensis. Iosephus * Corum definit Medimnis Atticis decem. Inquit enim: ὁ δὲ κόρος δύναται μεδίμνους ἀττικοὺς δέκα. Sed hîc μεδίμνου vox pro *Epha* forsitan (nihil tamen temeré hîc statui velimus:) videtur accipi: adeó ut Josephus Græcé scribens nobiliorem Hebræorum mensuram, nempe Epham, videatur voluisse reddere per eam, quæ nobilior, & gravioris ponderis erat apud Græcos, nempe per Medimnum, quam constat mensurā maximi inter omnes Græcos momenti tunc & semper exstitisse, aut μετρητὰς, vel μεδίμνους σικελικοὺς intellexit.

** Ἀρχαιολ. l. 15. c. 11.*

3. Venio ad Romanorum ἰσομετρίαν Cori: quia triginta illi Modii Attici, sive Medimni sex, & octodecim vicenæ quinæ partes Medimni, libras tritici pendebant nongentas, quas ipsas pendebat Corus: ideò facile iudicatu est, Corum cepisse Modios Romanos 40. ut apparet, si 900 dividantur per 20. hoc est, per totidem libras Romanas, quas pendebant singuli Modii. Tullius, Suidas, alii, Medimnum æstimant sex Modiis Romanis, qui alioquin iuxta nostrum computum, si Atticus intelligendus esset, præter sex Modios completos, caperet 13 libras & trientem libræ ampliùs: verùm id de Medimno Siculo maiori intelligendum sine dubio; quem constat pendere libras tritici centum viginti, hoc est, Modios Romanos sex.

Ad rationem Romanorum.

4. Denique ad nostratem rationem si Corum reducas, cognosces præcisè capere nostrates tritici Modios novem. unde cuivis facilè est, in liquidum reducere omnem Cororum (junge & cæterarum mensurarum in

Ad hodiernam.

Aridis) quantitatem , quæ in ſacris Scripturis σποράδην occurrunt: nec ad noſtratem duntaxat Tigurinam, ſed cujuſvis gentis propriam, ſi patrias quiſque ſuas menſuras, prout plures vel pauciores libras noſtrate Modio Tigurino capiunt, ſecundùm veterum menſuratum libras æſtimârit.

NOTA.

5. Cæterùm ſilentio non obliterandum, *Cor*, vel *Corum* Hebræis, Chaldæis Syriſque elganter dici quaſi כּוּר *Cur*, vel *Curum*, hoc eſt, *foveam*, quæ exciſa & cava eſt, quaſi *menſuram exciſam* ſeu *cavam*, vel, ut magis Latinè loquar, *cubicam*, habentem ſcilicet pedes Hebraïcos duos altitudinis, latitudinis totidem, longitudinis duos cum ſemiſſe, amplitudinis decem, ſive pollices Hebræorum 17280. ut computat Capellus. Quo tropo Græci & Romani aliquot menſuris ex concavitate nomina indiderunt: in quarum numero eſt κοτύλη ſeu *Cotyla*, menſura tum Aridorum, tum Liquidorum, capiens apud Atticos quidem, (unde *Attica* dicta) tritici uncias octo cum triente, olei decem, aquæ undecim cum quadrante, mellis quindecim: apud Romanos verò (unde *Romana* appellata:) tritici ſeptem uncias & ſemis, olei novem, vini decem, mellis tredecim & ſemis, &c. Tale eſt *Ligulæ* nomen, menſura minima apud Romanos, faciens quartarium cyathi, ut computat Agricola; quæ à linguæ ſimilitudine, in cavum intra dentes palatum verſus contractæ, dicta eſt quaſi *Lingula*: item *Cochlearis*, itidem minimæ menſuræ nomen, ſed apud Græcos, dictum, non tam à *cochleâ*, quòd ea hoc vaſe ori ingeratur, ut Martialis ludit, quàm à ſimilitudine teſtæ ipſius cochleæ, quam nonnihil habet in concavitate: maximè ſi cochleam fractam ei compares.

Cori fit mentio 1.Reg 4.22.

6. Porrò menſuræ hujus multa in Scripturis fit mentio: ut quum in deſcriptione ſummæ gloriæ & excelſæ majeſtatis Solomonis, qui

πάντας

——— πάντας βασιλῆας, ὅσους μέγας ἄμπεχε κόσμος,
ὄλβῳ καὶ σοφίῃ παρελήλυθεν ———

Divitiis vicit reges, & acumine mentis,
Quotquot latipatens terræ circumdedit orbis,

dicitur, cibarium eius diurnum fuisse tricenûm Cororum similæ, & sexagenûm Cororum farinæ. Qui quidem triceni Cori similæ faciũt juxta Hebræorum mensuras, Lethecas 60, vel Ephas 300, vel Sata 900, vel Homéres 3000, vel Kabos 1800, juxta Græcorum veró Medimnos Atticos $209\frac{3}{5}$. & iuxta Romanorum Modios 1350, &c. qui faciunt modios nostrates Tigurinos 270, &c. Sexageni veró Cori farinæ faciunt dupló plures sive Medimnos Atticos, sive Modios Romanos & nostrates. Inde autem apparent non tam Regis Solomonis, filii τοῦ ἐϋπτολέμοιο Δαβίδου, quám Iesu Christi, Filii æterni Dei, & reipsâ ἀγανολάτου βασιλῆος, immensæ divitiæ & ἄφθονα χρήματα; è quorum plenitudine gratiam pro gratiâ accipimus omnes, ut loquitur S. Iohannes. Etenim si supputemus, quot hominum millia ex cibario illo diurno delicatissimę farinæ, similæ nempe, cotidianum suum alimentum habere potuerint, reperiemus personas tredecies mille & quingentas, si Choenicam bilibrem singulis tribuamus, quæ ἡμερήσιος τροφή, diaria sive diæta, hoc est, diurnum olim dimensum fuit, opilionum & servorum apud Romanos: ut de sexagenis Coris farinæ crassioris, denis bovibus domi impingvatis, & vicenis in pascuis nutritis, cẽtumque ovibus aliisque nihil dicam: nisi malimus singulis Choenicam militarem sive quinquilibrem tribuere, quæ ingenuis olim militibus apud Græcos fuit tributa; quia verisimile non est, hos mimos & vanos aulicos opilionum instar haberi ac tractari voluisse: neq; etiam τὸ πρέπον magnificentiæ istius regiæ id permiserit: præsertim inter tam inæstimabiles heri eorũ divitias simul & lautitias; in quîs

argentum & res alias pretiosas quasi in plateas abjicere, hoc est, æqué nihil curare, atque rem omni utilitate ac voluptate carentem, quæ in plateas vulgó abjicitur, solebant: tunc reperiemus personas quinquies mille & quadringentas, attributis singulis quinque libris in frumento vel tritico, sive sexaginta unciis, quas Choenix ista pendebat.

7. Pergo ad vicies millenos Coros tritici, quos idem μεγαλώνυμος rex in cibum dedit pro familiâ Hirami, qui
1. Reg. 5, 11. Τυρίοισι μέτ' εὐπλούτοισιν ἄνασσε, *Tyrios inter gestabat sceptra potentes*. Hi Cori facere potuerunt, juxta Hebræorũ mensuras, Lethecas 40000, vel Ephas 200000, vel Sata 600000, vel Homéres 2000000, vel Kabos 3600000. at iuxta mensuras Græcorũ Medimnos Atticos 130400, & iuxta Romanorum Modios 900000 &c. qui faciunt Modios nostrates Tigurinos 180000, &c. quod alterum μεγαλοπρεπείας Solomonicæ documentum est: de quo videris etiam 2. Paral. 2, 10. Nam quód Solomon pollicitus esset mercedem servis Hirami, ipse veró necessaria tantúm eis ad opus præberi postularet, abundanter hæc sané & magnificé ille præstitit ἀνὰ πᾶν ἔτος: insula quandoquidem Tyrus negotiationi summopere dedita, ac proinde πλέτῳ καὶ λαοῖσιν ἀπείρεσιοις τέθαλυῖα, *Divitiis populisque vigens*, non ex agris, sed negotiatione & artificiis victitabat.

2. Paral. 27, 5. 8. Quód porró Ammonitæ dicuntur dedisse Iothamo, Hierosolymorum regi, tributi loco, decies mille Coros tritici, & totidem etiam Coros hordei: facere ii potuerunt juxta Hebræorum mensuras Lethécas 20000, vel Ephas 100000, vel Sata 300000, vel Homéres 1000000, vel Kabos 1800000. juxta mensuras veró Græcorum Medimnos Atticos 65200. & juxta Romanorum Modios 450000, &c. qui faciunt Modios nostrates Tigurinos

Tigurinos 90000, &c. quod arguit etiam ejus ævi maximam regni Iudaïci potentiam & magnificentiam, quod tenebat tributarios Ammonitas per se potentissimos, & inprimis bellicosissimos,

Τοῖς δ' ἐνὶ μίγδα νέμοντο γιγάντια φῦλα Ραφίνων,
Mixta quibus vixit Rhaphaïnica turba gigantum.

9. In novi quoque Fœderis libris Cori fit mentio: ut Luc. 16, 7. *Deinde alii dixit, Tu veró quantum debes? Is autem ait, Centum Coros tritici. Tum ipse dixit ei, Accipe tabulas tuas, & scribe octoginta*, &c. Hîc centeni Cori efficiunt juxta Hebræos, Lethecas 200, vel Ephas 1000, vel Sata 3000, vel Homéres 10000, vel Kabos 18000. juxta Græcos veró Medimnos Atticos 672. & juxta Romanos, Modios 4500, &c. qui faciunt Modios nostrates 900. Octogeni veró Cori faciunt juxta Hebræos, Lethecas 160, vel Ephas 800, vel Sata 2400, vel Homéres 8000, vel Kabos 14400. juxta Græcos veró, Medimnos Atticos 537, & tres quintas partes Medimni, & juxta Romanos, Modios 3600, &c. qui faciunt Modios nostrates 720, &c. *Luc. 16, 7.*

10. ALIQUANDO, & præcipué apud Prophetas, hæc mẽsura appellatur חומר *Chómer* à חמור *Chámor*, *asini* voce, ut sit mensura tantum frumenti capiens, quantũ asinus portare possit. quod & Epiphanius innuere videtur scribens: *χὸρ δὲ λέγεται ἀπὸ τῆς βουνοῦ ἀποθέσεως*, &c. Et paulló póst: *Βουνωθέντες γὰρ καὶ οἱ τριάκοντα μόδιοι ποιοῦσι φορτίον καμήλου*: *Dicitur autem Chor* (eliso nempe m & e ex Chómer) *ab impositione oneris: & triginta Modii ad bajulandum impositi onus faciunt cameli*, &c. ubi per *Modios* intelligit *Sata*; quorum triginta justam Cori mensurã efficiunt. Alii dictum volunt à חומר *Chómer*, *cumuli* vel *acervi* nomine, quód tantum frumenti, quantum mensura illa capiebat, justum cumulum vel tumulum faciat: ad quod *Cor aliquando dicitur chómer, & cur.*

Isidorus alludens inquit: *Chomer* (quem ille *Coram* corrupté appellat) *ab hebraïco descendit sermone, à quo similitudine collis sic vocatur. Coacervati enim Modii triginta instar collis videntur, & onus cameli efficiunt.* Cæterùm Corum & Chomérem eandem fuisse mensuram, hinc colligere promtum est, quód Bath ab Ezechiele dicitur fuisse Cori pars decima, seu, quód decem Bathi constituerint Corum. Iam tot Bathorum debebat etiam esse Chómer. Vnde patet, Corum & Chomérem mensuræ sive quantitatis exstitisse ejusdem. De Coro veró certó constat fuisse triginta Searum sive Satorum: totidem ergo fuit etiam Chómer.

Levit.27,16. 11. Expressa mensuræ hujus, sub hoc comprehensæ nomine, fit mentio Levit. 27, 16. vbi *Chómer sementis hordeaceæ* æstimatur quinquaginta siclis argenteis sacris, hoc est, 25 Thaleris Imperialibus, monetâ Germanicâ: nostrate veró Tigurinâ 66 *libris*, 13 *aßibus*, 4 *obolis*: & Gallicâ 17 *coronatis*, quos *solares* appellant à Solis insigni, eis impresso, & 5 *aßib.* coronato ad 65 asses Turonicos reducto, ut suprá.

Num.11,32. 12. Et num. 11, 32. dicitur qui in colligendis coturnicibus, quas Deus Iudæis ἐν λασίοισιν ἐρημάδος ἄγκεσι χώρης, *per desertam Arabum regionem vagantibus*, stupẽdo miraculo benignè suppeditaverat φλογεροῖο κατ' αἰθέρος, minimum collegerat, collegisse *decem Choméres*: qui faciunt juxta Hebræos Lethecas 20, vel Ephas 100, vel Sata 300, vel Homéres 1000, vel Kabos 1800. juxta Græcos veró Medimnos Atticos 67, cũ unâ quintâ Medimni, & juxta Romanos, Modios 450. qui faciunt Modios nostrates 90, &c. Cujus magnæ quantitatis collectio ab homine uno facta, nemini insolens aut mira; aut ἀδύνατος videatur; quum facta sit toto illo die, quo ventus coturnices summo impetu à mari abripuerat, á quo Israëlitarum

castra

castra dissеverat, & totâ etiam nocte, totoque die postero; idque ἀπαύςως & sine intermissu. Quam avium diætam Deus populo suo ideó instituit, ut vesperi quidem carnibus, ceu solidiore cibo, manè autem panibus vescerentur, & ita cœna largior atque lautior esset prandio vel jentaculo: simul eos ad Christum Filium suum deducens; qui vesperi, hoc est, in fine seculorum venit, seque ipsum cum omnibus beneficiis suis quâm liberalissimé in sacrosanctâ suâ Cœnâ percipiendum atque fruendum nobis proposuit, ad salutem nostram sempiternam.

13. Sic Esa. 5, 10. ubi Propheta magnam tritici penuriam Israëlitis contumacibus minatur, prædicit, *Sementem Choméris reddituram Epham*. Quo perpauco tritici proventu permagna annonæ penuria, ac proinde caritas atque fames indicatur, quum hæc talis semẽtis aliquot centenas Ephas naturaliter proferre possit. LXX, & Hieronymus, hanc mensuram passim vertunt *sex Artabas*, Artabas videlicet Babylonias aut Persicas; quarum singulæ libras Romanas tritici centum pendebant & quinquaginta: conjunctim veró libras noningentas; quas ipsas 900 libras pendere Corum vel Chomérem dictum est suprá. Suidas *Artabam* Medimno Attico circumscribit: sed ea Medica est, & Medimno georgico ἰζόμετϱος, ut rectè observat Capellus. *Esa. 5, 10.*

14. Denique *Choméris* fit mentio Hos. 3, 2. ubi Propheta populo Israëlitico exilium & captivitatem minatus, in qua Deus ei non daturus sit amplas opes, & uberẽ commeatum ad saturitatem, & voluptatem, ut hactenus fecerit, sed pressurus eum sit egestate & inopiâ rerum necessaria: ũ ait, *Se ad mandatum parabolicum mulierem adulterantem comparâsse sibi Chomere hordei*, &c. Vult dicere denis Ephis, vel tricenis Satis, vel octogenis Kabis, &c. Quo mysticé parcũ ac tenue dimẽsum innuit: nominatim autem *hordei* *Hos. 3, 2.*

meminit,

meminit, non tritici: ut declaret, neque etiam delicatum, ſed vile admodum fore. Nam ex hordeo coctus panis triticeo ingratior & inſuavior eſt, itémque imbecillior & minoris nutrimenti. unde clariús adhuc Servatoris potentia, qui quinque panibus hordeaceis & paucis piſcibus ingentem hominum multitudinem pavit, elucet. Adde, quód expreſsé apud Ezechielem cap. 4. *panis hordeaceus*, quem Propheta coquere jubet, ſymbolum fuit magnæ inopiæ atque famis, quæ illis in futurâ urbis obſidione fuerit ſubeunda: item, quód Iud. 7, 13. *panis hordeaceus obvertens ſe in caſtris Madianitarum & perveniens in tentoria*, nota fuit Gedeonis & populi Iſraëlitici: cujus vilis tunc erat & abjecta conditio, everſuri Madianitarum caſtra: prout panis vel placenta hordeacea inter viles cibos numerabatur, ut bene interpretatur Ioſephus.

Hæc de Coro vel Chomére, omnium inter Hebræos Aridorum menſurâ maximâ & ampliſſimâ, adeoque de Menſuris Aridorum univerſim; quæ quidem in ſacris vtriuſque Fœderis monumentis occurrunt.

FINIS LIBRI II.



DE ANTIQUIS MENSURIS HEBRÆORUM
Liber III.
QUI EST
De Mensuris Discretorum Liquidorum.

Caput I.
De Mensuris Liquidorum, universim.



Nitio nostræ tractationis Hebræorum mensuræ divisæ fuerunt in mensuras Continuorum & Discretorum: hæ veró subdivisæ in Aridorum & Liquidorum mensuras: de Continuorum autem & altero Discretorum genere, nempe Aridis, dictum hactenus. Sequitur ut de Liquidorum mensuris paucis nunc agatur; quarum tractatio posteriori instituitur loco; quia posterior earum inventio. Etenim priorem frugum culturam fuisse, ex Caïni constat historiâ, post cuius demum ævum, diluvii nimirum tempore, vini & olei, quorum gratiâ mensuræ Liquidorum potissimùm inventæ, in Scripturis fit mentio, unde & Aridorum mensuras priores fuisse credi po-

Tractatio de mensuris liquidorum posterior quare.

test. Et certé Iosephus eam gloriam Caïno expressé tribuit, ut qui primus

——— ἐρίβωλον ὑπέσχισε τέλσον ἀρότρῳ
Καὶ σπορὸν ἐκπροϊεὶς γονίμους ἠμήσατο καρπούς:
——— *fœcunda rudi sulcavit aratro*
Iugera, & insperso retulit de semine messes.

Mensurarũ inventores.

Eutropius alioquin *Sidonium* mensuras & põdera eo tempore apud Ethnicos invenisse tradit, quo apud Albanos Procas, apud Iudæos veró Aza summam imperii dignitatem tenuerunt. Alii, *Mercurium* ex Cretâ, Iovis filium, hæc constituisse volunt, Plinio teste, libr. 7. Alii, *Phidonem Argivum*, vel, ut Gellio placet, *Palamedem*: alii, ut Strabo auctor est lib. 5. *Phidonem Eliensem*, &c. Nimirum, quia alii apud alios primúm mensuras & pondera invenerunt. Laërtius lib. 9. ex Aristoxeno affirmat, *Pythagoram* adinvenisse Græcis.

Species in liquidis apud Hebraeos.

2. Cæterum tres principes harum mensurarum apud Hebræos fuerunt species, nempe

: לוג *Log.*
: הין *Hin.*
: בת *Bath.*

quas singulas eodem ordine, quo suprá, σὺν Θεῷ, explanabo breviter. Οὐ γὰρ τὸ μέγα εὖ, ἀλλὰ τὸ εὖ μέγα, inquit ille oratorum Græcorum torrens Demosthenes.

CAPUT II.

De לוג *Log*, vel *Logo*.

Log prima in liquidis species.

PRIMA & minima Hebræorum, qua in Liquidis vel Humidis olim usi sunt, mensura, fuit לוג *Log*, Chaldaicè & Syriacè לוגא *Luga*. à quo nata est Latinorum *lagenæ* vox, & Græcorum λάγυνος, vel λάγυνος, testaceum vas, ad vinum capiendum præcipuè accommodum, unde οἰνοφόρον aliquando reddunt Græci. quan-

ci. quanquam & certam mensuram apud eos fuisse, Choæ Atticæ (de qua pòst) ἰσόμετρον, Athenæus libr. 11. scribere non dubitat. Hebræis alioquin λάγυνος sive lagena dicitur אשישה *aschischáh*; quam reddunt alii *dolium*: alii *scyphum*: alii *calicem*: alii *vinarium vas*, vel *vini contentivum*, ut glossa Lyrani. Vbi animadverte, 2. Sam. 6.19. Cant. 2, 5. & Hos. 3, 1. per *lagenam* intelligi vinum vel potum in lagenâ vel vase vinario contentum, metonymiâ tritâ. Et citato quidem Hoseæ loco admonere voluit Propheta aut de more veterum idololatrarum, qui in templis Deorum suorum epulabantur, ut colligere est ex Iud. 9, 27. & 1. Cor. 10, 21. aut simpliciter de delitiis & luxu vel crapulâ; quæ ferè comes aut pedissequa est idololatriæ, ut alia vitia omnia: siquidem ut cum scortatione corporis conjunctæ sunt helluatio & lascivia (*Absque Cerere enim & Baccho Venus friget*, inquit Comicus:) ita & idololatræ sunt ventri & luxui dediti; quos *ventris operarios* ideó scitè vocat Tertullianus: & Hebręi אשישי ענבים אהבי *okabé aschische hanabím*, *amantes lagenas uvarum*: Græci veró δουλεύοντας τῇ γαστρί, *ventris mancipia* indigetant; quibus nihil prius, nihil antiquius est, quàm ἐπὶ τράπεζαν πλῶσαι, *ad portum mensæ navigare*, ut loquitur vetus Poëta, qui ventris gratiâ nullis non patronis serviunt, atque ipsum etiam religionis genus mutare non erubescunt.

2. Sed ad *Logum*, unde deflexit paululum, ut redeat λόγος, continebat is vigesimam quartam partem Sati, sive duodecimam Hinis, adeò ut viginti quatuor Logi æquales fuerint Sato, vel duodecim Logi Hini. Sic enim R. David in Radicum libro Logum disertè definit: לוג מדה קטנה ידועה בינינו והוא אחד מעשרים וארבעה בסאה: והוא ששה ביצים: *Reducta ad mensuras Hebræorum.*
Log inquit, *mensura minima est, quam nôrint Iudæi, quippe exi-*

ſtens 24. pars Sati ſive tantum, quantum capiunt ſex ovorũ gallinaceorum communium teſtæ, &c. Huic declarationi Hebræi omnes ὁμοθυμαδὸν conſentiunt. Satũ porró menſura Aridorũ fuit ſuprá, capiens tantum, quantum capere poteſt τριτεύς ſive *tertiarius Ephæ*: & Hin menſura Liquidorum, capiens tantum, quantum capit ξέσης ſive *Sextarius Bathi*.

Ad menſuras Græcorum.

3. Iam ſi ad Græcorum menſurariam rationem Liquidorum *Logum* reducamus, apparebit, ſi non præcisè, aut per omnia, ſaltem ὡς ἔγγιστα ad Logi capacitatem acceſſiſſe Sextarium Atticum. Vt enim Logus capiebat vel pendebat uncias Romanas olei octodecim, & mellis viginti ſeptem: ita Atticus Sextarius uncias olei pendebat viginti, & mellis triginta: adeó ut Logo major capaciórve fuerit Sextarius in oleo quidem unciis duabus, in melle veró tribus.

Ad menſuras Romanorum.

4. Ad Romanorum rationem ſi reducere libeat, minus laborabimus. Etenim manifeſtè conſtat ex Galeno, Cleopatrâ & aliis, Logum præciſé capere Sextarium Romanum; qui uncias Romanas olei capiebat octodecim vini viginti, mellis viginti ſeptem, ut computat Capellus: quæ trientem menſuræ noſtratis Tigurinæ circiter complere potuiſſent, ſive in aqua, ſive in vino.

Log aliquando redditus cotyla.

5. Quód veró LXX interpretes Levit. 14. Hebraïcam *Logi* vocem bis térve transfundunt κοτύλῃ: exiſtimãdum eſt, quum proprium & germanum *Sextarii* nomen apud Græcos non occurreret (. Ξέστης enim è Romanâ dictione *Sextarius*, corrupta & formata eſt poſteris demum temporibus: quandoquidem, Galeno teſte lib. 1. de compoſitione medicamentorum ſecundúm genera, παρὰ μὲν τοῖς Ἀθηναίοις οὔτε τὸ μέτρον ἦν, οὔτε τοὔνομα τοῦτο· ἀφ' οὗ δὲ κρατοῦσι Ῥωμαῖοι, τὸ μὲν ὄνομα τοῦ ξέστου παρὰ πᾶσιν ἐστὶ τῇ ἑλληνικῇ διαλέκτῳ χρωμένοις ἔθνεσιν, αὐτὸ δὲ τὸ μέτρον οὐκ ἴσον τῷ Ῥωμαικῷ, *apud vetuſtiores Atticos neque menſura hæc, neque nomen*

eius

ejus invenitur: sed unâ cum imperio Romano utrumque in Græciam pervenit, quamvis mensura impar Romanæ: unde usus ejus apud Andromachum, Asclepiadem, Critonem, Dioscoridem ac nonnullos alios, qui, dum res staret Romana, de medicamentis libros scripserunt, est frequens:) eos vocem quám-proximè ad Sextarium accedentem arripuisse quæ est κοτύλη, *Cotyla*, *major* scilicet & *Attica*, quæ Sextario Attico, de quo anté, per omnia respondet. Istum autem Sextarium proximè ad Logum accessisse, ex superiori inductione satis patet. Quæ propinquitas effecit, ut Cotyla non raró hîc & alibi pro Sextario acciperetur.

6. Alioqui & *Cotyla minor* fuit, cúm *Romana*, tum *Attica*: *Romana*; pendens olei novem, vini decem, mellis tredecim & semis uncias: ut cúm ex suprá citatis auctoribus Galeno & Cleopatra, tum ex Dioscoride, Diodoro, & aliis potest probari: cui mensuræ ἰσόμετρον faciunt mensuram Arabicam קרבוני *Korbóni*, dictam à קורבן *Korbán* Hebræorum, quamvis diversæ plané significationis. Hoc enim δῶρον seu *donum* proprié declarat: metonymicé veró *arcam*, in qua δῶρα seu dona Deo consecrata reponuntur, Apuleio *donarium*, Græcis γαζοφυλάκιον. unde εἰς τὸν κορβανᾶν, hoc est, in δῶρον seu *donum*, puta *arcam* dicuntur conjecisse sacerdotes triginta argenteos numos proditorios Iudæ. *Attica* deinde *Cotyla*, quæ & τρύβλιον, *Tryblium* dicitur Cleopatræ, olei uncias decem, aquæ undecim cum quadrante, mellis quindecim pendebat: dicebatúrque, tum Romana, tum Attica Cotyla, ἀδιακρίτως *Hemina*, ex Græco ἥμισυ, quasi *Semisextarius*. ut certè Aristophanis interpres, ἡμίξεστον, *Semisextarium* expressé vertit. quæ affinitas fecit, ut, etsi Cotyla Græcorum, & Hemina Romanorum vox (à qua vernaculum nostrum Immi, mensuræ minimæ nomen in Aridis, nisi ab *Inio*

Cotyla Romana & Attica.

Korbóni.

Tryblium.

Hemina.

Ægyptiorum, vel *Hine* Hebræorum deducere malimus, videtur fluxisse:) propria sit: tamen non raró ob hanc affinitatem inter se confundantur. Atque Romanarũ quidem binarum Cotylarum sive Heminarum capacem fuisse Sextarium, cujus S. Marcus meminit cap. 7. vers. 4. à vero non abhorret: & id sané harum rerum peritissimus G. Agricola expressis verbis asserit; quem doctissimus interpres ad locum illum fidenter sequitur. quanquam & τῶν ξεστῶν appellatione ibi cætera tum majora tum minora, cotidianis usibus destinata vasa, ex quibus scilicet vinum aut aqua fundebatur, intelligi possint: sicut ποτηρίων nomine, eodem loco, videntur comprehendi vasa, è quibus potatur.

Cotyla georgica.

7. Porró fuit & *Cotyla georgica*, pendens uncias olei quindecim, vini sexdecim cum besse, mellis viginti duas cum semisse: cui ἰζόμετρος est mensura illa Heydelbergensis; quæ, quia, si vino repleta exhauriatur sæpius, & præsertim ἀμυστὶ καὶ ἀπνευστὶ, ohne schnaufen und bart wüschen/ homini corpus, mentem sensúsque obstruit & pessundat, dicitur Schoppen, per metonymiam duplicem, continentis & efficientis. Eam etenim uncias Heydelbergicas quindecim, ac proin Romanas sexdecim cum besse, olei veró quindecim pendere computatur. Vnde denique κοτύλη vel Cotyla nomen sortita sit, dictum est suprá, capite de Coro.

Hæc de Logo.

CAPUT III.

De הין *Hin*, vel *Hine*.

Hin altera in liquidis mensura, & reducta ad mensuras Hebræorum.

ALTERA Hebræorum mensura, qua in Liquidis vel Humidis olim usi sunt, est הין *Hin*. ideó dicta à Rege Davide מרת חלה *middáth challáh*, *mensura liquoris*. Hæc sexta

sexta pars sive Sextarius fuit Bathi, capiens duodecim Logos, sive tantum liquoris vel humoris, quantum capere possint septuaginta duûm ovorum gallinaceorum testæ. Sic enim R. Solomon in cap. 29. Exodi expressé scribit: רבע ההין שלשה לוגי, *Quarta pars Hinis tres sunt Logi:* & in cap. 30. הין היא שנים עשר לוג, *Hin duodecim capit Logos:* cui succinit idem R. David in Radicum volumine: הין היא המדה שהיתה אצלם שנים עשר לוג הלוג ששה בצים *Hin duodecim Logorum apud Hebræos est capax: & Log tantum capit, quantum sex ovorum testæ,* &c. qui duodecim Logi, vel Hin vnus mensuras nostrates Tigurinas sex circiter æquare possint, & duas tertias partes mensuræ in vino. Nam in oleo pauxillo minus, in aqua veró pauxillo majus efficere potuit. Cum Hine conferri potest mensura Thebanorum, quæ Epiphanio dicitur ἀπόῤῥημα. Nam, ut Aporrhyma undecim ferè Sextariis Atticis, Romanis veró duodecim vulgò circumscribebatur: ita eandē Hinis rationē fuisse, ex sequēti inductione patet.

2. Etenim institutâ comparatione cum Græcorum & Romanorum ratione, deprehendemus Hinem feré capere eosdem undecim Sextarios Atticos, Romanos veró duodecim: prout singuli Logi, quibus Hin definitur, totidem Sextarii sunt: Romani quidem duodeni, ὡς ἀκριβέστατα, Attici veró ὡς ἔγγιστα, ut dictum capite præcedenti. Iosephus* Hinem circumscribit per duas Choas Atticas: Μέτρον ἦ, inquit, ἐστὶ τοῦτο (verba faciens de Hine) ἐπιχώριον δύο χόας ἀττικὰς δεχόμενον. Vbi per *Choas Atticas* haud dubié intelligit *Congios Romanos* propter mutuam eorum analogiam: quæ effecit, ut cùm ipse, tum alii scriptores alteram mensuram pro alterâ sæpe sumserint, more suo. Etenim ut Chus vel Choa Attica libras Romanas olei decem, aquæ undecim cum quadrante, mel-

Reducta ad mensuras Græcorum & Romanorum.

*lib. 3. antiq. c. 10.

Choa Attica. Congius Romanus.

lis

lis quindecim pēdebat: ita Congius Romanus libras Romanas olei novem, mellis ſeptem & ſemis pēdebat, haud multúm diſtante intervallo. Iam ſi Congios duplicemus, apparebit binos pendere libras Romanas olei octodecim, hoc eſt, uncias ducētas ſexdecim, mellis veró libras quindecim, hoc eſt, uncias centum octoginta. Et tot ſive libras, nempe 18 olei, & 15 mellis: ſive uncias, nempe 216 olei, & 180 mellis, pendebant duodecim Logi, ſive Sextarii Romani, per quos Hin definitur. Adſtipulatur Ioſepho Hieronymus. Hæc enim verba prodit commentario ſuo in Ezechielem, cap. 4. verſ. 10. *Hin duos Choas Atticos facit; quos nos appellare poſſumus duos Sextarios Italicos*, &c. Vbi Sextarium ponens non Romanum, ſed Italicum, innuit, non Romanum, ſed Italicum Sextarium & Congium idem eſſe. Quód ſi Congios triplicemus, palám fiet, ternos pendere libras Romanas olei 27, hoc eſt, uncias trecentas viginti quatuor: mellis veró libras $22\frac{1}{2}$. hoc eſt, uncias ducentas ſeptuaginta. Et tot ſive libras ſive uncias olei vel mellis capiebat *Cophinus*, mēſura Bœotorum, in Liquidis quidem, hoc eſt, tres Congios Romanos, ſive tres Choas Atticas. ut teſtis eſt Heſychius, κόφινος μέτρον χοροῦν χόας τρεῖς· & Pollux, οἷνε κόφινος δυνάμενος τρεῖς χόας. In Aridis enim quám capax fuerit diſertè comprobari nequit: etſi interim & aridarū rerum menſuram fuiſſe velint. In Evangelicâ equidem hiſtoriâ, ubi *Cophinorum* fit mētio Matth. 14, 20. Marc. 6, 43. Luc. 9, 17. & Iohan. 6, 13. exacta certáque menſura intelligenda non videtur: ſed potiús vas ruſticum, è vimine cōtextum, ſervandis frumentariis rebus idoneum: qui primus & Germanus *Cophini* ſenſus eſt. Cujuſmodi vas Hebræis dicitur טנא *tænæ*, propriè quidem: metonymicé veré panes vel aliæ res frumentariæ in vaſe illo repoſitæ, Deut. 28, 5. Syris retentâ voce Græcâ dicitur קופינא *Kuphiná*: Latinis

Latinis veró *Corbis* (unde Korb Germanorum:) & *Calathus*, & *Qualus* vel *Quasillus*, & *Sporta* vel *Sportula*, aliisq; nominibus. quamvis hoc verum videatur, minores fuisse Cophinos sportis, quum Matth. 15, 10, expressé distinguantur.

3. Cæterúm duo hîc παρέργως adtexere lubet: unum de *Choæ*, alterum de *Congii* nomine. *Choa* vel *Chus* nomen hausit aut à כס *Cós* vel *Cús*, Hebræorum voce, *calicem* sive *vas vinarium* significante, aut ἀπὸ τοῦ χέειν vel χύειν, à *fundendo*, Græcâ origine. Ejusmodi enim vasis genus etiam declarat Choa vel Chus, quo aqua hausta fundebatur ac spargebatur, quasi *Præfericulum* dicas καταχερνικῶς, quod vas fuit æneum patens sine ansâ, veluti pelvis, quod præferre in sacrificiis solebant. à quo sive certo mensuræ genere, sive vase, χόες sive χοῦς *Sacrum* vel *Festum*, à Themistocle in honorem Bacchi institutum, nomē accepit. unde & ipse Bacchus χοοπότης fuit cognominatus: de quo Festo Suidas scribit, Athenis actum fuisse mense Anthesterione, unde & ἀνθεστηριὼν nomine fuit insignitum, hancque rationem ejus tradit: Orestem, dicit, quum propter matris cædem profugus, Athenas se contulisset, ad Pandionem cognatum suum, Atheniensium regem, venisse: qui, quum publicum epulum eo forté tempore celebrasset, & Orestem neque præ pudore dimittere, neque prę religione ad potus mensęque communionem admittere auderet, quum nōdum esset expiatus, ne eodem ex cratere biberet, singulis convivis Choam apposuit. *Congius* deinde famosis illis συμποσίου ναύταις καὶ κυλίκων ἐρέταις, *convivii nautis & calicum remigibus* sive *trahonibus* nomen dedit: quorum primus, Promachus nempe, cujus Plutarchus meminit, quia quatuor vini congios, hoc est 40 pintas Parisinas hausit, *Quadricongius*: alter, Novellius nimirum Torquatus, Mediolanensis, aut Gallus po-

Choa unde dicta.

Chus festū Bacchi apud Athenienses.

Congius nomen dedit quadricongio.

Plin. l. 4. c. 22.

tiús, quia uno, sed immani valdé haustu impetúve, hoc est, ἀπνευστί, spectante, miraculi caussâ, Tiberio Principe, tres siccavit congios, hoc est, 30 pintas, *Tricongius*: tertius denique, Ciceronis filius, quia duos congios, hoc est, 20 pintas simul haurire solitus, *Bicongius*, fuit appellatus. Idem *congius* nomen dedit & *congiario*: quo declaratur munus à Cæsaribus vel Imperatoribus populo dari solitum, partim in inaugurationibus eorum, partim post partas victorias. Vt enim *donativum* dicebatur munus,

Congiariũ.

quod dabatur militibus: ita *congiarium*, quod populo: nimirum quia primó congii vini vel olei darentur, secundó congio pecunia & aliæ res non tam mensurari, quàm in populum distribui spargíve solerent. Suetonius hujus rei locuples testis est. Sic enim in Cæsare Dictatore scribit: *Omnibus veró circa eum, atque etiam parte magnâ Senatus, gratuitó, aut levi fœnore obstrictis, ex reliquo quóque ordinum genere, vel invitató vel sponte ad se commeantes, uberrimo congiario prosequebatur*. Et in Augusto: *Congiaria populo frequenter dedit: sed diversæ feré summæ, modó quadragenos, modó tricenos, nonnunquam ducenos quinquagenósque numos: ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis nonnisi ab undecimo ætatis anno accipere consuessent*, &c.

Hinis fit mentio Exod. 29, 40.

4. Redeo ad Hinem. Ejus expressa fit mentio Exod. 29, 40. ubi decima, hoc est, Hómer, Ephæ similæ, mistæ *quartâ Hinis olei tusi*, & libamen *quartâ Hinis vini*, in Agnum offerenda præcipiuntur. Quæ quarta pars tantum capiebat, quantum capere possint testæ octodecim ovorum gallinaceorum communium, sive tres Sextarii Romani: mysticé autem Christum respiciebant, quem oleo atque vino veræ fidei, ceu agnum, suo tempore

—— —— ὀξυόδουσιν ἱμασθλαῖς,
Σταυρῷ λωβήεντι μετήορον, ὀξεῖ κέντρῳ
Χεῖρέ τε καὶ σφυρὰ διστὰ πεπαρμένον ——

rigidisque

———rigidisq; flagellis
Mactatum, clavisq; manus & crura foratum
In cruce sublimem damnosâ,———

omnes Christianos, qui spirituales Dei sacerdotes sunt, offerre decet.

5. Sic Exod. 30, 24. ad confecturam unguenti sacri, quo tentorium Conventûs, arca Testimonii, Mensa ac Lychnuchus cum instrumentis, Altare item ipsum suffitûs inungi debebant, præcipitur accipiendus *Hin olei olivæ*; qui facit undecim feré sextarios Atticos, ut dictum, sive duodecim Romanos, aut quantũ capiant binæ Choę Atticæ, aut totidem Cõgii Romani, vel denique septuaginta duûm ovorum testæ. Hoc modo æstimandus Hin Lev. 19, 36. & Ezech. 45. *Exod. 30. 24. Lev. 19, 36*

6. Et Numerorum cap. 15, versu 9, fit mentio *dimidii Hinis olei*; & versu 7 *trientis Hinis vini:* & versu 4 *quadrantis Hinis olei*; quæ ingressuris Iudæis εἰς χώραν μελίῤῥυτον ad sacrificia adjungenda erant. Vbi *dimidius Hin* tantum capiebat, quantum capiãt triginta sex ovorum testæ, vel sex Sextarii Romani, vel Choa Attica, aut Congius Romanus: *triens Hinis*; quantum capiant 24 ovorum testæ, sive quatuor Sextarii Romani: *quadrans Hinis*; quantũ capiant octodecim ovorum testæ, vel tres Sextarii Romani &c. *Num. 15.*

7. Denique *Hinis* meminit Ezechiel cap. 4. vers. 11. ubi populum Israëliticum de horribili fame, in diuturnâ obsidione Hierosolymæ eventurâ, certiorem facit, dicẽs, *Illum aquam ad mensuram bibiturum, sextam Hinis; de tempore in tempus statum*, &c. Innuit *primò*, Eos aquæ minutam mensuram bibere coactum iri, ob ejus penuriam, videlicet tantum aquæ, quantum capiunt testæ ovorum gallinaceorum duodecim, sive Sextarii Romani duo: *Secundò*, illam minutam aquæ mensuram non simul datum iri, sed de tempore in tempus statum, sic ut, quæ semel hau- *Ezech. 4. 11.*

sta sitim ægrè leniisset, partita ardorem siticulosi palati potiùs incenderet, quàm sitim tolleret: cujusmodi potus aridam vitam hominibus, obsidione cinctis, ad sensum majoris ægritudinis producebat, qui erant ad ultimum aut fame, aut peste, aut gladio Chaldæorum casuri, aut certé in captivitatem, quavis morte acerbiorem abducendi. Videas & Ezech. 45, 24. & 46, 5, 7, 11, 14.

Hæc de Hine.

CAPUT IV.

De בת *Bath*, vel *Batho*.

Bath, tertia in liquidis species. Esa. 5, 10. &c.

TERTIA, & ultima, & amplissima Hebræorum mensura, qua in Liquidis vel Humidis olìm usi sunt, cùm sacro, tum profano usu, fuit בת *Bath*: Græcis *βάθος*: Hieronymo, & aliis Latinis *Bathus*, ejusdem in Liquidis capacitatis, cujus in Aridis fuit Epha, velut expressissimo Ezechielis testimonio comprobatur: à quo perhibetur fuisse pars decima mensuræ ejus, quæ *Corus* vel *Chómer* est dicta, quod mensurarum maximum in Aridis fuit genus. Vnde R. David in Radicũ codice: האיפה מדת היבש: ובת מדת הלח והבת עשירית החמר *Epha*, inquit *mensura: Aridorum est, & Bath mensura Liquidorum. Est veró hæc decima pars Cori sive Chomèris.* Assertionem hanc firmat Rabbi David de Pomis in trilingvi Lexico suo: בת מדת: של דברים רטובים והיא עשירית החומר *Bath mensura est rerum humidarum: estque decima pars Choméris, puta cum Chomére, quæ Aridorum fuit mensura, collata.* At juxta Liquidorum mensuras continebat sex Hinas, sive septuaginta duos Logos. Hebræi *Bathum* dictum putant à *vacuitate* aut *capacitate*, cognatúmq; faciunt cum בית *baith*, voce *domum* signante, tanquam si dicas *domum*, hoc est, *locum*, capiendis scilicet rebus liquidis: ut alia sané plera-

Reducta ad mensuras Hebræorũ.

ne pleraq; vasa capacia à formâ aut capacitate sunt dicta.

2. Quód si ad Græcorum rationem metricam Bathum reducas, deprehendes, cepisse aut Metretã, aut Cadum, aut Amphoram Atticam: quæ singulæ mẽsuræ ξέστας, hoc est, Sextarios Atticos capiebant 65 sive 66. Vbi in transcursu animadverte, *Metretam* præcipuam Græcorum in Liquidis mensuram fuisse, ideóque ἀπὸ τοῦ μετρεῖν dictam, hoc est, *à metiendo*, quasi *mensuram* κατ᾽ ἐξοχὴν, à præcipuo & creberrimo ejus usu: *Cadum* veró appellatum vel ἀπὸ τοῦ χάδειν, *capacem esse*, aspiratâ Græcâ per Latinos in tenuem mutatâ, tanquam vas capax admodum, aut cæteris capacius, (vt certé Hebraïca etiam vox בת *Bath* à *capacitate* ante dicta:) vel ab Hebraïco nomine כד *Cád*, *Hydriam* significante Gen. 24,16. Iud. 17,16. & alibi. *Amphoram* denique epitheton nactam esse ab ἀμφί & φέρω, quasi vasis vel mensuræ fictilis genus, quod duas habebat ansas, quibus utrinque capi & portari posset, vino asservando inprimis accommodum. *Ad mensuras Græcorum.*

3. Ad Romanorum deinde rationem *Bathum* si æstimes, apparebit, hunc ἀναλόγως respondisse Hydriæ Romanæ, quæ Sextarios continebat Romanos septuaginta duos. Hunc computum præter alios stabilit Iosephus, de muneribus quæ Solomon, Iudæorum Rex, Hiramo, Regi Tyriorum, misit, sic scribens: σίτου μὲν αὐτῷ κατ᾽ ἔτος πέμψας δισμυρίους κόρους, καὶ τοσούτους ἐλαίου βάθους. ὁ δὲ βάθος δύναται χωρῆσαι ξέστας ἑβδομήκοντα καὶ δύο: *Tritici quidem et singulis annis misit Cororum viginti millia, & totidem olei Bathos. Bathus autem capere potest duos & septuaginta Sextarios*, puta *Romanos*. qui Bathus, sive Sextarii 72, æstimari possint quadraginta nostratibus mensuris vini, quæ faciunt dimidiam Omam nostratem, & decem mensuras, sive tertiarium Omæ: aquæ veró, mensuris quadraginta ac dimidiâ: & olei triginta sex, prout Bathus pen- *Ad mensuras Romanorum.*

debat libras Romanas olei 108, vini 120, aquæ 121 $\frac{1}{2}$. noſtrates veró menſuræ ſingulæ libras pendent circiter tres.

Bathi fit mentio 1. Reg. 7, 26,

4. Cæterùm hujus noſtri Bathi fit mentio 1. Reg. 7, 26. ubi *Lacus fuſus*, quem Solomon fieri curavit, dicitur cepiſſe *bis mille Bathos*, qui ſcilicet ordinarié, & κατ' ἔθος in eum inferebantur, ex inſtituto Regis. Nam aliâs totus Lacus, uſque ad ſummitatem ejus, poterat capere ter mille Bathos, de quibus mentio fit 2. Par. 4, 5. Illi porró *bis mille Bathi* capiebant mille ducentas Hinas, ſive centies quadragies quater mille Logos, juxta Hebræos: & juxta Græcos, totidem, nempe bis mille Metretas, ſive Cados, ſive Amphoras Atticas, reductis ſingulis ad 65, vel *66*. Sextarios Atticos: juxta Romanos veró bis mille Hydrias; quæ ſingulæ capiebant *72* Sextarios Romanos, ut dictum: & juxta noſtratem rationem Omas Tigurinas mille trecentas triginta tres cum tertiario Omæ: Omâ reductâ ad ſexaginta menſuras, vini ſcilicet. Nam in aquâ continebant Omas mille trecentas quinquaginta, in oleo veró mille ducentas.

1. Reg. 7. 38. 2. Par. 2. 10. Eſd. 7, 22.

5. Sic verſu 38 ejuſdem primi Regum dicitur unum quódque *Labrum* continuiſſe quadragenos Bathos; qui capiebant totidem Metretas, vel Cados, vel Amphoras Atticas, ſive Hydrias Romanas: Hinas veró ducentas quadragenas, vel Logos bis mille octingentos octoginta; qui faciunt Omas noſtrates Tigurinas *vini* viginti ſex, & duas tertias partes Omæ: *aquæ* veró Omas viginti ſeptem, & *olei* viginti quatuor. Similiter æſtimare licet Bathos 2. Par. 2, 10. & Eſd. 7, 22. videlicet ſingulos vel per totidem Metretas, aut Cados, aut Amphoras Atticas: vel per totidem Hydrias Romanas: vel per ſex Hinas, aut ſeptuaginta duos Logos: ſingulis menſura-

rum generibus reductis ad 108 libras in oleo: ad 120 in vino: ad $121\frac{1}{2}$ in aquâ: libris veró divisis per tres libras in mensuras nostrates, & his rursus per sexaginta mensuras in Omas.

6. Hæc de *Batho*, adeóque mensuris Liquidorum apud Hebræos universim; quæ quidem in Sacris litterarum monumentis occurrunt. Alias cúm Aridorum, tum Liquidorum mensuras, quæ in Pandectis Talmudicis, & Rabbinorum commentis passim occurrunt, & paucæ sunt, & parvi ponderis, & usum ad intelligendas & explicandas sacras Scripturas nullum habent, de industriâ prætereo. Hujus farinæ sunt סלה *Sélah*, Aridorum mensura, vulgó Hebræorum *Quadrantal*, pendens libras Romanas tritici centum viginti: תרקב *Tarkáb*, itidem Aridorum mensura, tantum capiens, quantum capiebant duo Kabi: פונדיון *Pondion*, similiter Aridorum mensura, pendens uncias Romanas tritici triginta: קרתב *Kartáb*, sive *Kartúb*, capiens sexagesimam quartam Sati partem, pariter mensura Aridorum, pendens uncias Romanas tritici quinque, cum quinque octavis partibus unciæ, &c. Hujusmodi sunt תומן *Tumán*, שלחת *Schalcháth*, עקל *Hakál*, ברזינה *Barziná*, גידו *Gidú*, חמנתא *Chamnetá*, כן *Kén*, שרגיש *Schargisch*, טיני *Tiní*, quæ ultima sexaginta ovorum mensurâ definitur: & si quæ sunt alia ἀναιτιολόγητα καὶ πάρεργα mensurarum apud Rabbinos obvia & levis momenti nomina.

CAPUT V.

De Metretis vel Amphoris, quibus Aquales in nuptiis Canæ Galilææ fuerunt æstimati.

AD rationem mensurariam jam initam reduci quoq; possunt duodecim aut octodecim Metretæ sive Amphoræ; quas capiebãt sex lapidei Aquales, secundum purificationem Iudæorum in nuptiis Canæ Galilææ positi; quorum Evangelista Iohannes meminit cap. 2. vers. 6. Illam igitur rationem si sequamur, æstimabimus Metretas sive Amphoras illas, quas Cados etiam suprá nominavimus, & quas Syrus interpres רבעין *rebehin*, *Quadrantalia* abusivé reddit, totidem Bathis Hebraïcis: Bathus quandoquidem præcisé Metretam sive Amphoram aut Cadum capiebat. Et Atticas quidem hoc loco à Iohanne intelligi, hinc liquidó constat, quód Iohannes non in Italiâ, nec Latiné, sed in Asiâ, & Græcé scripsit. unde neque Syriacas Metretas, vel Amphoras, aut Cados intellexisse putandus est. Si tamen ad Romanorum rationem exigas, duodecim quidem illæ vel octodecim Metretæ vel Amphoræ Atticæ sex Aqualium, totidem capere potuerunt Hydrias Romanas. Amphora siquidem, sive Metreta, aut Cadus, & Hydria ejusdem sunt capacitatis, nisi quód ut Hydria habet pedem Romanum altitudinis, & latitudinis, sesquipedem veró longitudinis, & pollices Romanos 2592 amplitudinis: Metreta vel Amphora Attica habet pollices 13 latitudinis, 9 altitudinis, 20 longitudinis, amplitudinis veró 2340. pendéntque libras Romanas tritici 90, olei 108, vini 120, aquæ $121\frac{1}{2}$, mellis 62, ut Computat Capellus.

2. Iam si Metretas vel Hydrias illas sex Aqualium ad libras Romanas exigas, liquebit, duodenas quidem cepisse libras mille quadringentas quinquaginta octo in aquâ;

aquâ: in vino veró libras 1440. Sed octodecim Amphoras, sive Metretas vel Hydrias cepisse libras bis mille centum octoginta septem in aquâ: in vino veró 2160. quæ libræ vini 1440 duodenûm Amphorarum, sive Metretarum, aut Hydriarum faciunt Omas nostrates Tigurinas octonas, mensuræ cuilibet tributis libris tribus. Libræ veró 2160 Amphorarum, sive Metretarum, aut Hydriarum faciunt Omas duodenas, ongefahr ein fuder / hoc est, tantum vini, quantum quadrigâ vulgó vehi potest. quæ mensura maxima hodie est, & *Culeo* veterum Romanorum (qui quintuplicatus Achanam complebat Persicam sive Ægyptiacam, hæc quandoquidem continebat Romanos culeos quinque:) saltem magnitudinis respectu æquatur, quam constat maximam apud Romanos mensuram olim fuisse, ut ex Plinio, Columellâ, & aliis, inprimis Rhemnio Fannio, in hoc disticho, cognoscimus:

Est & bis decies, quem conficit Amphora nostris,
Culeus, hoc nulla est major mensura liquoris.

Vbi præterea nota, *Culeum* præcisé cepisse Amphoras bis denas, hoc est, viginti, sive urnas quadragenas: Amphorâ reductâ ad binas urnas. quanquam si Attica est, juxta alios continet urnas tres. Sed Amphoras quidem viginti continere, præter Rhemnium, Plinius testatur, inquiens: *Quando, & postea sæpenumero, septenos Culeos singula jugera, hoc est, Amphoras centenas quadragenas musti dederunt*. Vnde si septem Culei centenas quadragenas Amphoras, ut ipse declarat, efficiunt, perspicuum est ad calculum redigenti, *Culeum* Amphoras capere viginti. Græcis quidem *Culeus* vel *Culeum* dicitur κυλεός, &, præter cætera, eis vasis genus est, & fortassis etiam mensura, cujus nos certiores facerent rei rusticæ scriptores, si modó ulli exstarent. Romani certé eos imitati, *Culeos* vocârunt non tam certas mensuras, quám utres vinarios & olea-

rios, quibus tum ipsi Romani, tum Iudæi & aliæ nationes doliorum vice utebantur, Matth. 9,14. & Marc. 2,18. quę dolia sive vasa, saltem olearia, Hebræi aliter appellant אסוכים *asuchim* ab ungendo, 2. Reg. 4, 2. quæ Latinis dicuntur *lenticulæ*, & גלות *gylloth*, ab *effluendo*, quód oleum inde effluat Am. 5, 24. Græcé ληκύθυς appellare possimus, vasa scilicet ventre protuberante, oréque angustiore, &c. Tandem apud Romanos *Culeus* quóque factus est parricidarum pœna. Nam parricidæ sanguineis verberati virgis, in culeum cum cane, simiâ, gallo & serpente inclusi, in mare conjiciebantur. Vnde Juvenalis:

——— ——— quis tam
Perditus, ut dubitet, Senecam præferre Neroni:
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec Culeus unus.

Quod horridũ pœnæ genus proverbio locum dedit *Culeo dignus* pro immané sceleroso.

3. Porró in hoc computo à nobis adducto vides, sex Aquales illos, quorum S. Iohannes meminit, si præsertim ternis Amphoris, aut Metretis, vel Hydriis singulos æstimes, quam-proximé ad Culeum accessisse: præterea non fuisse urceos: qui manu gestarentur, quibus aqua in urnam vel æneum infundebatur: sed fuerunt vasa lata & patula; in quibus lavari posset: cujus generis vasa dicta sunt. Græcis λετῆρες à *lavando*, & Latinis *labra*, quasi *lavabra*, ac *soliæ*, quasi ad usum, lavandi in *solo*, non scamnis posita, vel quód in lectis discumbẽtes epulaturi priús depositis *soleis* lavabant, ne scilicet pulverosis pedib. strata inquinarent: cujus rei Plautus Persa testis est, inquiens: *Locus hic tuus est, hic accumbe. ferte aquam pedibus. præben' tu, puere?* quanquam Iudæi superstitiosiores non pedes tantúm, sed & corpus totum intingebant, Vnde

ἡμεροβαπτισταὶ dicti; qui quotidie corpus intingebant, antequam discumberent. Quare Pharisæus ille, qui Dominum ad cœnam invitaverat, mirabatur, eum priús, quàm totum corpus abluisset, discubuisse, Luc. 11, 38. ὁ δὲ Φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν, ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου. quorum tamen simpliciores, ab omni superstitione remoti, pro universali illâ βαπτίσει contenti erant ποδονίπτρῳ, hoc est, pedilavio. ut testis est Dominus ipse, qui Pharisæo alii, à quo cœnâ exceptus fuerat, objicit aquam ad pedes sibi discubituro non datum, Luc. 7, 44. ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας μου οὐκ ἔδωκας. Aut certé videntur fuisse Aquales isti nuptiales labra, unde nõnisi manu vel pugno, ut loquitur Marcus cap. 7. vers. 4. haurirent aquam, sese Iudæorum more purificaturi, quum dicantur positi fuisse κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων, *secundum ritũ purificationis*; quo scilicet Iudæi nonnulli cibum sumturi aquâ non corpus, non pedes, sed manus abluentes & tergentes, se purificabant, alioquin cibum, qui comedebatur, immundum judicantes; quæ ablutio tribus fiebat vicibus: in primâ ablutione digites levabant sursum, in posterioribus duabus demittebant: manus item lavabant simul, non unam post alteram: sinistrâ etiam utebantur, tanquam famulâ ad subserviendum dextræ, quam superstitionem reprehendit in Pharisæis Servator in loco Marci à nobis notato.

4. Ex tantâ autem vini copiâ, quæ Veterum *Culeum* feré adimplebat, & hodiernis tot Omis nostratibus æstimatur, dignitas atque magnitudo miraculi elucet clarissimé, quo Christus

——— ——— νυμφιδίῃ παρὰ παστάδι νήχυτον ὕδωρ
Ἐς μέθυ λαρὸν ἄμειψε ——— ———
— *in fontanum mutavit vina liquorem*
Dum tædis bonus hospes adest.

Huic omnipotenti triuno Deo sit laus & gloria in secula, Amen.



In tres libros De Mensuris antiquis Hebræorum

Index.

B.

Colum-

Funes

123

Mensu-

N.

O.

Sesqui-

Victus



129



SCRIPTORVM NOMINA, quorum auctoritate in his De Mensuris antiquis libris usi sumus.

R. Abraham Aben-Ezra.
Alexander ab Alexandro.
S. Ambrosius.
Ammianus Marcellinus.
Apollinaris Sulpitius.
Apuleius.
R. Aquiba.
Arias Montanus.
Aristophanes, & ejus Scholiastes.
Aristoteles.
Aristoxenus.
Athenæus.
Auctor fasciculi myrrhæ.
Auctor libri Col-bo.
S. Augustinus.
Avicenna.
S. Basilius.
Catullus.
Celsus.
S. Chrysostomus.
Cicero.
Cleopatra.
Columella.
R. David Kimchi.


R.

Quintilianus.
Rhemnius Fannius.
Ruffinus.
R. Sahadias.
Seneca.
R. Simeon.
Statius.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.
Tertullianus.
Theodorus Beza.
Theocritus, & eius ſcholiaſtes.
Theophylactus.
Valerius Maximus.
Valerius Probus.
Vetus Paraphraſtes Chaldaïcus.
Virgilius.
Vitruvius.
Vlpianus Iuris Conſultus.
Xenophon.

FINIS.

Z

.133


005647257

